




**Valentini Gentilis Teterrimi hæretici impietatum ac triplicis perfidiæ & periurii, brevis explicatio, : ex actis publicis Senatus Geneuensis optima fide descripta. Earundem refutationes a? doctissimis ætatis nostræ Theologis scriptæ, quarum elenchum proxima pagina continet. Eiusdem Gentilus extremæ perfidiæ, & iusti supplicij de eo sumpti, historia seorsim est excusa.**

<https://hdl.handle.net/1874/424233>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**


<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Rariora

E. qu  
77



Carta de donación  
de don Juan de  
Castilla

304.

h.

Ex. 100  
77







ex hoc colligitur quod per denot quatuor annos  
 ut dicitur tenuit regalecepta Saul  
 fuisse dauid scriptura refert de morte Saulis  
 de casu ionathe quod natus una die  
 sic quod fuit christi membris plangit eorum  
 casu. peccando qui occidit deo  
 Gelboe siccant montes pro morte Saulis  
 et fructum perdunt et sine rore manent  
 gratia iudeos in christi morte reliquit  
 et summa perdunt corda supra bonum

*Expletum pro libro regum Iacob 104*

ostendit ionathe morte prius quod fuit dauid unctus  
 rex super iudam et cepit regnare ibi  
 porro super populos alios ad celsamina regni  
 hitbolech et regis nobilit abner ope  
 precepti matris dauid esse ioab prohibens  
 matris precepti hitbolech abner erat  
 inter utrosque dum mouit discordia bellum  
 sed magis erant pars animosa dauid  
 hinc abner hic sex pueros. tunc ioab inde  
 eligo. ut manerent obuia bella sibi  
 pugnantem cer de simul quod non timore ensent  
 in latere oppositi fugerunt quilibet suum.  
 sed iosephus narrat ex abner parte pemptos  
 esse uiros. pueros non occidisse ioab  
 territa plebs abner fugio. insequitur moab hoste  
 insligant parret uoce monere tuos.


*De aseritate asahel et morte*

Iuxta quod est scriptum non sequitur hostes  
 turbaros. azael abulay quod fugant  
 hic asahel capreat pede sic unctus. ut et  
 quod penarot crederet esse pedes  
 post abner uolat hic. primo. urget. lumina precepti.  
 fletus in hinc et aut porrige signa pedi  
 non mea terga premit ne te contige cogar

Theologia

Quarto n. 77.

*Barbara*



N. 14. A.

n.º 304. b.

1596  
1597  
1598  
1599  
1600  
1601  
1602  
1603  
1604  
1605  
1606  
1607  
1608  
1609  
1610  
1611  
1612  
1613  
1614  
1615  
1616  
1617  
1618  
1619  
1620  
1621  
1622  
1623  
1624  
1625  
1626  
1627  
1628  
1629  
1630  
1631  
1632  
1633  
1634  
1635  
1636  
1637  
1638  
1639  
1640  
1641  
1642  
1643  
1644  
1645  
1646  
1647  
1648  
1649  
1650  
1651  
1652  
1653  
1654  
1655  
1656  
1657  
1658  
1659  
1660  
1661  
1662  
1663  
1664  
1665  
1666  
1667  
1668  
1669  
1670  
1671  
1672  
1673  
1674  
1675  
1676  
1677  
1678  
1679  
1680  
1681  
1682  
1683  
1684  
1685  
1686  
1687  
1688  
1689  
1690  
1691  
1692  
1693  
1694  
1695  
1696  
1697  
1698  
1699  
1700

x

# Valentini Gentilis teter-

## RIMI HÆRETICI

*impietatum ac triplicis perfidie & periurii, brevis explicatio, ex actis publicis Senatus Geneuensis optima fide descripta.*

Earundem refutationes à doctissimis ætatis nostræ Theologis scriptæ, quarum elenchum proxima pagina continet.

*Eiusdem Gentilis extrema perfidie, & iusti supplicij de eo sumpti, historia seorsim est excusa.*

quoniam lata est porta, & spatiosa via,

Introite per angustam portam,



que abducit in exitum. Mar. 7. 13.

*Ex Donat. lib. à Hirtzel*

GENEVE,

*Ex officina Francisci Perrini.*

M. D. LXVII.



*E L E N C H V S L I B E L L O -  
rum, quos in hac editione coniunximus.*

Impietas Valentini Gentilis breui scripto detecta, & palam traducta per  
D. Iohannem Caluinum.

Protheseôn eiusdem Gentilis refutatio brevis, sed firma & solida, eodem  
auctore.

Eiusdem responsio nunquã antehac edita, ad quasdam quæstiones à Geor-  
gio Blandrata, altero in filium Dei blasphemò, propositas.

Eiusdem duplex ad Polonos fratres admonitio.

D. Iosifæ Simleri, Tigurinae Ecclesiae doctoris Theologi, eruditissima ad  
Polonos de iisdem controuersis epistola.

D. Andreae Hyperii, Marpurgensis Ecclesiae Doctoris Theologi, theses  
eiusdem argumenti.

Arianorum nuper in Polonia exortorum refutatio per Iohannem VVi-  
gandum D.

Affertio doctrinae Ecclesiae Catholicae de sancta Trinitate, cum confuta-  
tione erroris Valentini Gentilis, per D. Alexandrum Alefium, Lipsiæ  
Ecclesiae doctorem.

Geneuensis Ecclesiae Ministrorum epistola eiusdem argumenti.

Theodori Bezae theses de Deo, essentia vno, personis trino.

Chri-

# Christiano & Orthodoxo Lectori

Theodorus Beza gratiam & pacem in Domino nostro  
Iesu Christo, æterno æterni Patris Filio coëssentiali.



Vis fieri posse credidisset, ut in ijs ipsis qui se profiterentur, abiecta omni Idololatria, Christum adorare, compereantur, qui Deitate illum spoliaret, & θεῶν ἁνθρωπῶν in θεῶν ἁνθρωπῶν transformarent? Nam certè amentis est hominis & prorsus ἀναδίντε, Idololatram se negare, & tamen eum verum ac natura Deum esse inficari, quem inuocandum, omnibusque diuinis honoribus afficiendum prædices. Reperta sunt tamen iam olim eiusmodi hominum monstra, quæ propterea Antichristos Orthodoxi vocant, ut Cherinthus & Hebion, ipsis etiam Apostolorum temporibus: quorum blasphemiam interpolarunt postea Theodotus Byzantinus, & execrandus ille Samosatenus, eius Ecclesie conspurcator, in qua primi sunt Christiani nominati. Istis porro debellatis monstris, ecce tandem Arius, rabida illa furia, ex abyssso prodijt, minimè quidem ille Christum ἡλὸν ἁνθρωπῶν statuens illorum exemplo: sed qui τὸν λόγον assereret creatum quiddam esse, idque in tempore, ac proinde illum vera Deitate priuare, quum vera Deitas nullo modo possit inter res creatas censeari, sed Diuinitas potius, id est qualitas quædam seu præstantia, ex Deitatis virtute & efficacia promanās, quo modo dixit Petrus nos fieri θεῶν φύσεως κοινωνοὺς. Sic enim nos docet hæreticorum uasrities Deitatem à Diuinitate distinguere, sicut & ipse Paulus non θεότης, sed θεότης plenitudinem Christo attribuit. Sed & Græci ipsi prophani scriptores, quamuis τὸ θεῖον appellent quod Latini Numen, tamè suos illos siue maiorū siue minorum Gentium Deos, θεοὺς potius quàm θεῶν vocant: vnde & istos dicuntur ἀποθεῶσαι, id est ex Diuinis, quales eos antea ha-

T H. B. P R A E F A T I O.

bebant, Deos effecisse, vt Idololatriam excusare nullo modo possint: quoniam (vt aduersus illos à nostris copiose disputatum est) nec religiose quicquam præter verum Deum adorari, nec quicquam creaturæ verus Deus haberi, sine maximo flagitio, potest. Recte igitur aduersus Arium vniuersalis illa celeberrima Synodus Nicæna, quam omnes postea tum vniuersales tum prouinciales Orthodoxæ Synodi perpetuo consensu confirmarunt: recte, inquam, illa, quum ex ipso communi sensu, quantumuis corrupto, & multò magis ex manifestissimo Dei verbo refelli omnem *ὁμοθεΐαν* videret, & tamen in scripturis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, extra quos nullus est verus Deus, manifestè inter se distingui, animaduerso inter *οὐσίαν*, (id est communem essentiam siue naturam) & *ὑπόστασιν*, quam postea *ὑπόσωπον*, id est personam vocarunt, discrimine: decreuit τὸν λόγον esse Filium Patri *ὁμοούσιον*, id est coessentialem. Hoc autem nomine commodissimè ac planè necessariò ad refellendas illas blasphemias vsurpato, duo significauit: nempe sic vnã esse Patris & Filij essentiam ac naturam, id est Deitatem, vt sint etiam *ὁμοῦσες αὐτῶν*, id est in vnica illa ac singularissima Deitate subsistentes, distincti videlicet suis proprietatibus, nõ autem in duas numero essentias separati: quoniam & vnica (vt dixi) & simplicissima, ac proinde insecabilis, eademque in ipsis singulis tota est Deitas, in qua subsistunt. Ipsi verò Ariomanitæ peruicaces, qui & *ἑτερούσιοι* dicti sunt, quòd τὸν λόγον facerent natura & essentia diuersum à Patre, & *ἕτερόν τι*, quòd illum *ἕτερον ὄντων* creatum dicerent, postea in duas minimum factiones diuisi sunt, nempe in *ὁμοισίους* (quasi æquiescentiales dicas) & *ἀνομοισίους*, id est dissimiles. Nec enim deerant versuti simul & stolidi homines, qui, quum vnica tantum literulam interponerent, id est *ὁμοούσιον* in *ὁμοιοούσιον* transformarent, latere posse suum Arianismum sperarent: quum tamen crassius etiam quàm ipse Arius, manifestè

ἰτερούσι & hallucinarentur, nisi vox illa ὁμοιουσίᾳ (sicut de Dionysio Corinthio Basilius ad fratrem scribit) commoda quadam interpretatione, sed plane, ut mihi videtur, violenta leniatur. Nam certè in vna eademque prorsus essentia nullus est neque aequalitati neque inaequalitati locus, ut pote quæ minimùm in duobus cernantur: ac proinde in hypostasibus, non in essentia, spectari aequalitatè necesse est. Ἀνόμοιοι verò, quanuis & ipsi dogma suum quibus possent coloribus fucarent, tamen vel manifestè se Arianos prodebant, ut qui Filium Patri facerent dissimilem: vel omnino stolidos se præbebant, quum in simplicissima & singularissima natura, nempe Deitate, maius & minus quiddam imaginaretur. Cum his igitur monstris vbi diu multùmque luctata est Ecclesia, & quidem eò sepe redactis rebus, ut nulla re magis quàm precibus & innumerabilium Martyrum sanguine restinctum illud incendium videatur: ecce mox ex eiusdem abyssi puteo emergit Nestorius, qui nouo quodã artificio idem quod Arius moliretur, ut qui Filium Mariæ secundum carnem, negaret secundum diuinam naturam esse Dei filium, ut vna eademque persona sit verus Deus & verus homo. Affirmabat enim τὸν λόγον illi carni ex Maria progeneratæ, non nisi ἐνεργητικῆς παρουσίας adfuisse. quod certè nihil aliud erat, quàm diuisa Christi Mediatoris persona, illum, ex homine Deo diuinissimum quendã hominem statuere. Inde verò quum illud ipsum consequatur, quod per illos priores diuersis cuniculis tentauit Diabolus, nempe ut vnicum illum nostrum Seruatorem adorantes, Idololatræ deprehenderemur: quis ita cæcus est, ut non animaduertat qua rabie Sathan aduersus humanum genus feratur, & qua vafritie mutatis subinde coloribus, caligantibus nostris oculis illudat? Detectum igitur tãdem & profligatum Cyrilli potissimum opera & virtute fuit monstrũ illud in Ephesina Synodo, nõ illa λησιπικῆ, sed vera & Orthodoxa: quum illic ex verbo Dei decretum esset, Christum



unicam esse personam ex duabus diuersis prorsus naturis, in vnum tamen ὕψις ἀπόρον incomprehensibili quadam ratione vnitis, vna videlicet diuina assumente, altera verò nempe humana assumpta, constantem: quod nisi firmum & inconcussum maneat, rueret sit necesse nostræ salutis basin & fundamentum. Ecce verò statim alterum huic oppositum monstrum parit Sathan, nempe Eutychen illum infelicissimum hominem, qui sic assentiri veritati contra Nestorium videretur, vt tamen re ipsa & Arium & Nestorium supergressus, Deum vtraque natura spoliatum prorsus in vanissimum phantasma transformaret, & in eo verissimum esse deprehenderetur, quod inquit Flaccus, Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Aiebat enim monachus ille delirus, naturã à persona non distinguēs, nec vnionem ab vnitate, Christum esse ex Diuinitate & humanitate permixtis cōflatum. Quasi verò vel Diuina natura transformari, vel humana in diuinã mutari possit, siue substantias ipsas, siue oὐτὼς ἰσθῆδες illarum proprietates cōsideres. Itaque quum hoc genus vnionis, quod permixtione fit, hoc proprium habeat, vt quod ex vtroque est compositū, neutrum sit per se: sicut videre est in mulso, quod quum ex melle & aqua constet, tamen nec aqua est nec mel, sed ex vtrisque confusis vnum. cōsequēbatur Christum, stante Eutychis dogmate, nec Deum esse nec hominem, nedum vt Deus sit & homo, qualem esse tamen necesse est, vt verè sit Immanuel. Hæc porrò qui non intelligunt à quibus inijs profecta sint, nec quorsum tendant Sathanae conatus, alij quidem per imperitiam, alij verò morositate, & quodam non cognitarum controuersiarum tædio, quidam denique audacissima temeritate vsi, veteres illos & doctrina & pietate præstātissimos Patres, quorum inexhaustis laboribus detectas hæreticorū fraudes & conseruatam in Ecclesia secundum Deum veritatem debemus, ausi sunt (proh indignum facinus!) quasi extra Dei verbum vagantes, & ve-

rum

rum Christianismum partim nouis quibusdam uocabulis & formulis, partim spinosis & superuacaneis quaestionibus abolentes, accusare. Nec sane existimo optimos & integerrimos illos homines duriora cum quoquam certamina sustinuisse, quam cum ijs qui in ipso Ecclesiae sinu uersantes, nec regere alios norant, in istis praesertim tempestatibus, nec regi sese a peritioribus patiebantur: quae indignitas procul-dubio uocem illam, qua Synodi semel omnes damnari uidentur, Nazianzeno extorsit. Sed de his alia. Nunc ad rem redeo. Exercuit Ecclesiam crassissimum illud Eutychis delirium annos plus minus trecentos subinde interpolatis & nouo quodo fuco oblitis erroribus renascens. Quid plura? toties depulsus Sathan, resumptis uiribus, quosdam in Peripateticorum schola eruditos excitat, qui  $\sigma\iota\omega\upsilon$  toties tantoque consensu explosum monstrum, rursus in theatrum orbis terrarum producerent: sed noua quadam arte transformatum, ut statim a quibusuis dignosci non possit. Si, quantum ex Nicephoro licet colligere, Deitatis essentiam ut creatas species considerantes, in tria indiuidua sic illam non distinguebant, sed dissecabant, ut sicut homo hominem, sic Deus Deum propagasse diceretur. Quod quidem dogma, quauis omnium sit crassissimum, tamen suos astipulatores inuenit, donec ista Tritheitarum factio in totidem partes dissecta, in quot ipsi prius Deitatem lacerarant, sua sponte concidit. Postea externis potissimum bellis, & fatalibus Regnorum mutationibus, vastato Orientis & Occidentis imperio, barbaries potius maxima quam haereses Ecclesiam inuasit, minime tamen desinente Sathana intus illam affligere, sed diuersa prorsus arte ac ratione. Visum enim illi est, omisso, quod toties male successerat aduersus Christi personam certamine, controuersiam potius de Christi officio, in qua iam olim fuerat a Paulo potissimum profligatus, rursus tot seculis intermissam mouere: cuius etiam belli semina paulatim, non sentientibus etiam optimis

T H. B. P R A E F A T I O.

Episcopis, desumpto ex Philosophorū scholis ἀντιἙσσιῶ, & excitato in Occidente Pelagio, iecerat. Multa hic verò sceleratos ipsius conatus adiuuerunt. Primum duorum Episcoporum, Constantinopolitani nimirum & Romani dissidia, non de regundis Christianæ religionis finibus, sed de diuidenda Romani imperij præda: reliquis Episcopis plerisque partim ignorantia, partim stultitia, partim etiam malitia suum quibusque Tyrannum defendentibus. Nulla tum erat linguarum peritia, vt ex fontibus diiudicari possent cōtrouersia. Optimarum artium studia, quāuis à Carolo magno multis locis excitata, tamen paulatim magis ac magis elanguescebant, vt artificiosa potius cuiusdam inscitiae, quàm vllius veræ scientiæ scholæ extarent. Mutatis linguis, manebāt nihilominus Latine scriptæ Liturgiæ, nec alia quàm vulgata illa vtriusque Testamenti versio extabat. & quanuis non adessent interpretes, tamen contra Pauli commonefactionem peregrina lingua, auctoritate potissimum Romani Episcopi Tyrannidem suam, quoquo modo posset, stabilientis, retinebatur, adeò vt ne nunc quidem ex Christianorum templis extrudi possit. Hinc factum est, vt paulatim obsolesceret quotidiana Diuini verbi prædicatio: de quo etiam Gregorius cōqueritur: & quum in hominum manibus nec Apostolorum nec Prophetarum scripta versarentur, Pseudoprophetis impune quiduis credendum vel faciendum obtrudere liceret. Hinc necessariò sequuta est scædisima Sacramentorum prophanatio, quum nemo, quid illic ageretur, intelligeret. Ita etiam factum, vt totus Dei cultus in vanissimas, ac tandem etiam plane blasphemias ceremonias degeneraret, deprauatis veteribus, quæ decori tantum gratia (quanuis interdum non satis prudenter) institutæ fuerant, & nouis certatim introductis ritibus, quorum nullus neque numerus neque modus fuit, quum nullis æque rebus ac externo illo cultu superstitiosi capiuntur, & his potissimum artibus nunquam non consueuerint astuti

hypo-

hypocritæ simpliciū animis insidiari. Manebat tantum in quibusdam scholis inanissima Theologiæ species, in qua digladiantes sophistæ vel de suis insomnijs rabiosissimè debaccharentur, vel si quod verum dogma tractarent, vanissimis plerunque ac futillissimis suis speculationibus verā Theologiam, qualis ex verbo Dei tradita, & doctissimorum Patrum scriptis explicata fuerat, in inanissimā μαθησιολογίαν transformarent. Denique eò res deuenit, vt illo perditionis filio in templo Dei sedente, & regibus etiam ipsis pro suo arbitrio dominante, succederet, extincta scientiæ salutis luce, obscurissima ignorantia caligo: & doctrina ipsa Christiana, partim sepulta delitesceret, partim placitis ex diametro repugnātibz corrupta iaceret: & quod ad Ecclesiasticum ipsum ordinem attinet, manentibus tantum inanibus nominibus, veluti Episcoporum, presbyterorū, diaconorum, clericorum, quasi ruderibus quibusdam, ab ipsis fundamentis totus conuelleretur. Quid interim misera Dei Ecclesia? nempe hæc tum erat ipsius conditio, quæ olim in Israele temporibus Eliæ, delitescentibus in spelunca fidelibus Dei Prophetis: & qualis tum erat, quum euerso Dei templo, & iugi cessante sacrificio, captiua in Babylone teneretur. Seruabat tamen Dominus renascituri suo tempore populi semen. Manebat saluus in Papatu Baptismus in Patris, Filij & Spiritus sancti nomen, quanuis peregrinæ linguæ vsu & multis alijs modis conspurcatus. Manebat frustra toties sicuti diximus, oppugnatum vnitatis essentiæ, & Trinitatis personarum fundamentum. Manebat doctrina de duabus Christi naturis, quanuis realis in Cæna Domini præsentia carnis & sanguinis Christi dogma, ex necessario consequenti tum Marcionis tum Eutychis delirium ex inferis reuocaret. Denique nullo seculo defuerunt, qui vel in ipsis inferorum antris, sese tenebrarum regno tum voce tum scriptis opponerent: cuius rei monumenta Deus opt. max. ab ijs ipsis conseruari voluit, in quorum per-

niciem quotidie in lucem prodeunt. Quid, quod pictores etiã qui scribere nõ norant, fecerunt vt parietes ipsi (quod prædixerat Dominus) loquerentur, & illum perditionis filiũ spectatoribus omnibus proderent? Ecquod enim templũ est, cuius picturæ & scripturæ non sint ipsius Papatus opprobriis refertæ? Quædam tãtũ ex infinitis cõmemorabo, quæ nũc fortẽ in mentẽ veniũt. Extat in augustissimo patriæ meæ templo, quod monasteriũ fuit ipsa penẽ vrbe maius, vitrea fenestra vetustissima, quod ipsa etiã pictura admodũ rudis & Gothicis, quas vocant, literis insignis demõstrat. Ibi variis anfractibus depicta est historia Monachi in adulterio deprehensi: obscena quidem plus satis, sed tamen non temerẽ depicta, & omnium oculis exposita. In Argẽtoratensis turris primis ferẽ sculptis lapidibus, luppus ministrãte vulpe, si bene memini, missam canit. Ibidem in summa templi testudine, nisi me valde fallit memoria, pictus est, qui digito Canonorum subiecta subsellia demõstrans, his Esaiæ verbis incusat, Populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorum longè abest à me. Tubingæ in aula Cœnobii, quod nunc illustrissimus Princeps VVirtembergẽsis otiosis asinis ademptũ, studiosis alendis hominibus consecrauit, vetusta extat pictura ponẽ ipsas fores, totũ Monachismum accuratissimẽ ob oculos proponẽs. Monstrũ est cucullatum, per gradus veluti sese præcipitãs, altero pede ceruino, si bene memini, vt veloces esse illius pedes ad male agendum intelligas. Alterius pedis vicem gerit inuersa lucerna, vt Monachismi ortum & progressum mera doctrinæ lucis euerfione niti scirent spectatores. Manus habet aduncas & rapaces: quarũ vna impositum humeris saccum retinet, orphanorum nimirũ & viduarum facultates: altera circulum gestat ex precatorius illis globulis mirabiliter confertum: si quidem pro minoribus illis, quos AVE MARIA vocãt, sunt abaci tabule orbiculata: & pro denis illis maioribus, quos PATER NOSTER appellãt  
boni

boni isti patres, singuli sunt taxilli, pulchrè cum tabulis illis coherentes. Sinum habet oppletum lusorijs chartarum folijs: cucullam à tergo, plenā illis nouem metis pyramidalibus, vnā cum globo, quo ad illas deiciendas vulgò vtuntur, vt qua in re vitam illi consumere solerent longarum precum prætextu, domos etiam regum exhaurientes, nullus ignoraret. Collum est oblongū & asininum, vt bestiarū more ventri deditos esse nemo nesciat. Menti vicem præbet quædā cyathi forma satis conueniens. Nasum facit canis caudam attollentis species, cuius caput latranti simile præstat etiam ipsi monacho capitis vicem, optimè sanè monachorū latratus simul & inglutuicem inexplebilem referens. Denique à tergo desinit dorsi spina in contortum lituum, ex quo cum fumo quodā extrusus monachus, rapacibus pedū & manūū vnguibus, ad mensam quædam assidens, numerata pecunia indulgentias vna manu, altera verò *κυσβόριον*, quod barbare cyboriū appellāt, in quo illorum fatale crustum continetur, porrigit. Biturigibus, in tabella quadam vetustissima, quo loco veniebant indulgentiæ, reperti sunt nostra memoria multi versiculi in totam illam fœdissimam nundinationem scripti, in quibus & istos fuisse memini,

Hic datur exponi Paradisus venditioni,

Hic pro mercede Christo dices, Mibi cede.

In hac Genuensi ciuitate pictura incrat, in ipso pene Augustiniano-  
rum vestibulo palam omnibus apparēs, addito etiā Iaphredi cuiusdā  
Taurinensis pictoris nomine, hydrā septicipitem suspenso in aëre thro-  
no insidentē referēs, substrata nudi Papæ Romæ triplici diademate  
exornati specie, ex pube infulas, pæda Espicopalia, bullas, Pontifices  
deniq; ipsos, fœdissima sanè stercora, quibus iā plus satis exaturatum  
esse mundū oportuit, egerentem, subiecta fornace, quæ vtrinq; à de-  
monibus eundem illum thronum circumstantibus accensa, miseros il-  
los decidentes excipiat. Hi tum erant igitur Dei opt. max. perfidiam

hominum iustis pœnis vlciscentis concionatores, donec nostra memoria idem pro incredibile sua bonitate, post præmissos aliquos, qui mundi veterum vtcunque excuterent, magnos illos heroes Spiritu sancto circumdatos prodire iuberet, quales inter ceteros fuerunt in Saxonia D. Martinus Lutherus, excellens Dei organum: in Heluetia verò, D. Huldrychus Zuinglius, vterque eodem tempore, idem opus summa vi moliens: & quidem, quod mirum est, alter alteri ignotus. Quos præstantissimos homines nisi mundi peccata disiunxissent, aut ego vehementer fallor, aut iampridem Antichristus Romanus prostratus iaceret. Quid tum igitur Sathan? Primum sophistarum agmina ex suis lustris excitauit, sed frustra: quum illorum plerique vel in otio vel in inutilissimis tantum nugis tractandis sese exercuissent, ac proinde paucos admodum haberet in tanto numero, ad hoc administrandum bellum satis idoneos. Placuit igitur illi cum illo plumbeo sophistarum gladio, edicta Cæsarum, Regum, Principum, Magistratum, denique ipsorum quoque populorum rabiem coniungere. Sed quum neque omnes principes satis ad hanc lanienam paratos inueniret, & re ipsa expertus esset Martyrum sanguine rigatã Ecclesiam fecundiorē reddi: placuit etiam illi veteres illas artes tentare, id est domesticis hostibus Ecclesiam laceßere. Hinc illa Anabaptistarum & Catabaptistarum agmina, quos suo enthusiasmo inflatos nihil prorsus puderet. Hinc quoque Schuuenckfeldius authoritatem diuini verbi pro viribus eleuans, & Eutychis simul errores pro viribus interpolans. Excitauit altera ex parte Mænonem, in quo relatus est Hebion: Dauidem Georgiũ, qui monstra ipsis Valentini Aeonibus portentosiora, & ipsis Carpocratianis obsceniora in medium proponeret. Omitto Postellum, monstrum ex omnibus omnium seculorum hæresibus conflatum, quo nunc etiam quantumuis recutito, bona Sorbona delectatur. Omitto etiam Antinomos à D. Luthero præfer-

praesertim refutatos. Omitto quoque Libertinorū agmina, quoniam infinitus est pene istiusmodi monstrorum numerus. Nec enim haec omnia mihi propositum nunc est recensere: sed hoc demum agere, de quo nunc proprie laboramus. Dico igitur Sathanam, ut Ecclesiae instaurationem nostro seculo caepit impediret, seipsum plane superasse: ita tamen ut nemo nisi volens decipi potuerit, aut nunc etiam possit. Primum enim ecce in vnico Serueto reuocati sunt ab inferis Samosatenus, Arius, & Eutyches. Quinam hoc tandem, dicet aliquis? Attendat igitur. Negabat Samosatenus aeternam τὸν λόγον hypostasin, quem duntaxat in mente & decreto Patris ante conceptionem carnis in utero Mariae extitisse volebat: docebat Seruetus Filium ex Deo fuisse, non reipsa sed figuratiue: quia in eo Deus futurum hominem genituriebat, mulierem expectans, ex qua eum gigneret. Sentiebat Arius τὸν λόγον esse creatum quiddam, ordine & tempore res ceteras creatas antecedens: sentiebat Seruetus τὸν λόγον tum caepisse existere, quum mundus creatus est, ac etiam ideam quandam fuisse ex tribus increatis elementis compositam. Negabat Eutyches Christum ex duabus distinctis naturis constare, quod diceret τὸν λόγον transformatum esse in carnem, quae postea glorificata, in Deum conuersa fuit: affirmabat Seruetus conceptum fuisse Filium in utero virginis ex ipsa Verbi essentia in carnem transeunte, quae postea in Deitatem fuerit absorpta. Addere autem etiam istis licet delirium Marcionis & Apollinaris insaniae proximum, adeo portentum illud fuit errorum omnium fecundum. Aiebat enim Marcion Filium δοκῆσει, id est opinione tantum, non autem reipsa carnem induisse. Apollinaris autem Diuinitatem volebat carni assumptae loco animae fuisse. Quid autem Seruetus? Certe non verum, sed imaginarium corpus Christo tribuebat, quum illud negaret ex semine Abrahae simpliciter fuisse genitum, sed partim etiam ex tribus illis elementis conflatum, &



*substantiali quadam Dei facie, quæ ab initio sanctis Patribus visa  
 fuisset: animam verò Christi sanè re ipsa exinaniebat, quum illam di-  
 ceret partim ex humano, partim ex Diuino spiritu fuisse compositam.  
 Hæ sunt igitur Serueti blasphemiae, quæ & initio à D. Ioãne OEco-  
 lampadio, & à D. Philippo Melanchthone postea grauissimè refuta-  
 tum: ac nouissimè tandem à magno illo Ioanne Caluino quàm poten-  
 tissimè gladio Dei verbi prostratum: deniq; ob triginta annorū bla-  
 sphemias execrabiles & indomitam peruicaciam ex Senatus Gene-  
 uensis sententia iustissimo supplicio affectū, quis non tandem, nisi pla-  
 nè furiosus & excors abominetur? Prodierunt tamen ex illo, tãquam  
 ex ludo quopiam discipuli nō pauci, sui etiam ducis & insanã & im-  
 pietatem pene superãtes. Hi initio fuerunt apud nos, Paulus quidam  
 Alcatus Mediolanēsis, homo iam antea planè phreneticus & verti-  
 ginosus: Valentinus Gētilis, cuius qui mores, quæ dogmata, quis de-  
 niq; fuerit exitus, ex ijs scriptis liquidò cognosci potest, in quæ nunc  
 præfamur. Istis adiungendus est Georgius quidã Blandrata, profes-  
 sione medicus, Gentili quidem indoctior, sed multò etiã impudentior  
 & sceleratior. Fuit quoq; in hac cohorte penè veteranus Gribaldus  
 Iuriscōsultus, homo sanè improbus, vt cui nulla religio fuerit, dogma  
 quod corde retineret, manifesto periurio abnegare. Fauit etiam illis,  
 sed nimii serò detectus, Bernardinus ille Ochinus, impurissimus hypo-  
 crita. Fauit quoq; Lælius Sozinus Senensis, incredibiliter ad cōtra-  
 dicendū, & varios nectendos nodos cōparatus, nec nisi post mortem  
 cognitus huiusmodi perniciosissimis hæresibus laborare. Isti igitur  
 quū neq; Serueti blasphemias, neq; veritatis mysteriū, neq; adeò sei-  
 ipsos nossent, prurirent autē incredibili nouitatis studio, cœperunt &  
 ipsi in receptã Trinitatis opinionem inquirere: quibus id statim cōri-  
 git, quod temere in mari scopuloso nauigantibus solet, nepe vt nauem  
 alius ad alium scopulū impingēs, naufragiū faceret. Facti sunt autem  
 illorum*

illorum plerique initio Tritheitæ, de quibus paulò antè diximus, non quidè verbo, sed re ipsa, vt qui tres personas in totidè οὐσίας trāsformant: hæc interea cū Ario habentes cōmunia, quòd Patrem volūt ante Filiū extitisse, quòd vnius veri Dei appellationē ad Patrem restringunt, quòd in Deitate imparitatem imaginantur: sed in eo certè ipso quoq; Ario impudentiores, quòd malebat iste τὸν λόγον ἑτερούσιον, atq; adeò Ἐὸν ὄντως creatū docere, quàm eò vsq; insanire, vt simplicissimam & singularissimā essentiam numero multiplicaret. Isti cōtrā, ne videātur Christū sua dignitate spoliare, istud quàm illud affirmare malunt. De duarum autem naturarū vnione, idem prorsus, quod post Eutyche Seruetus, sublata ἰδιωματῶν κοινωνία, docent. Ochinus callidior dubitare de singulis, Academicorū more, videtur maluisse, quàm quicquam definire. Lælius in Samosatemi partes clam transiit, verbo Dei, vt ex quodā eius scripto nunc liquet, adeò veteratoriè & planè versute deprauato, ac præsertim primo Euāgelij Ioānis capite, vt mihi quidè videatur omnes eius corruptores longè superasse. Cæterum ex illis tribus quos primos nominavi, quīq; in hac Ecclesia tum versabantur, primus Valentinus Gentilis in iudiciū à Senatu Geneuēsi vocatus, simulata pœnitētia, nō sine insigni periurio profugit. Sequutus est Paulus Alciatus, aut etiā præcessit, solo malæ cōscientiæ vulnere adactus. Blādrata aliquantò post, quū sibi à D. Caluino satisfactū diu simulasset, eādem vanissimo timore à semetipso expauefactus, quasi à Magistratu quæreretur, repētè & ipse ex vrbe in vicinā ditionē refugit. Quid plura? post varias deliberationes, ita fors tulit, vt Blādrata, qui Medicinā diu in Polonia primū, deinde in Trāsyluania apud Reginas fecerat, eò reuerteretur: vbi nimium facile illi aditus ad nostros patuit, quantūuis à D. Ioāne Caluino diligēter præmonitos: illū præsertim in illustris. & præstātis. alioqui Principis cuiusdā gratiā insinuāte Lismanino quodā Corcyrensi, magnæ tum apud Polonicas

omnes Ecclesias authoritatis viro. Tum autē fortē Francisci Stanchari Mantuani, petulantissimi hominis, importunitate (vt sanē fatalis esse videtur Polonis Italia) scissae erāt Polonicae Ecclesiae recens admodum ex Papismo emergentes: quum ille Christum esse Mediatorem secundum humanam naturam: alii verò, pro quibus Germanicae & Helueticae Ecclesiae postea iudicarunt, Mediatoris officium totius esse personae, & quidem diuerso vtriusque naturae respectu, affirmarent. Obiiciebat autem hoc in primis Stancharus, Mediatorem non posse dici Christum secundum Diuinam naturam, quin Patre minor cum Arianis statuatur. In hoc nodo explicando, quanuis non ita difficili, quum nutare quodammodo nostros videret Calvinus, non modò argumentum ipse dissoluit, verum etiam fratres sedulo monuit, ne, dum vitare Nestorii praecipitium volunt, in Arii vel Tritheitarum abyssum ruerent. Sed vana apud plerosque admonitio fuit, animis eorum à Blandrata, qui Gentilem etiam ad se euocarat, ita iam fascinatis, vt soli Deo medicabilis esset morbus. Hinc illud incendium, quod iam tota vastata Polonia, in Transsylvaniam quoque vnà cum Blandrata, peruasit, Gregorio quodam Paulo impurissimis libellis suis, infinitas blasphemias spargente, & Petro quodam Statorio, iuvene alioqui bono ingenio nec cōtemnenda doctrina praedito, operam omnem suam fucandis Barbarissimi scriptoris Blandratae commentis nauate: nihil denique praetermittentibus Tritheitis, vt paulò antè ceptum aedificium nō tantum impedirent, sed etiam prorsus cuerterent. Nostri interea non cessare, & tum ex Dei verbo, tum ex perpetuo Catholicae Ecclesiae consensu, & certa apud omnes fidei synodis, blasphemias illas refellere: quinetiam à remotissimis quoque Ecclesiis opem, & subsidiū flagitare, feliciter id quidem, non tamen eo, qui sperari potuerat, successu. Quid interea bonus ille Hofius Cardinalis cum suis Catholicis? nempe ridere  
sua-

*suauiter, & quasi ista nihil ad ipsos pertineret, aliud quiduis agere: imò et iam nostros vndique ad extinguendum hoc incendium accurrentes probrosis libellis laceffere: Regiam denique Maiestatem de coercendis istis blasphemis cogitantem, à rectis cõsiliis pro viribus auocare. ac merito quidem. Quorsum enim Satan aduersus seipsum depugnaret? Itaque iam illic res Christiana in extremo discrimine versari videbatur, nisi repente Dominus remedium laborantibus attulisset. quod quidem duplex vno eodẽmque tempore adhibuit. Præterquam enim quòd Regiæ Maiestati suggestit, vt solenni edictò omnes aduenas regni sui turbatores semel proscriberet, illorum etiam hereticorum linguas diuisit. Statim ergo non tantum alius aliò diffugere, sed etiam nescio quid priori sententiæ vel detrahere vel aducere cœpit. Ac Gentilis quidem Deo omnem illi mētem adimēte, in has regiones, id est in Bernensem ditionē, ad iustum supplicium infamiae & horroris plenū vltro recurrit: qui quum de Paulo Alciato sodali suo rogaretur, Factus est, inquit, Mahumetanus, nec mihi cum illo iam pridem vllum cõmercium fuit. Idem de Blandrata rogatus, Perit etiam, inquit, vt qui in Sabellij & Samosatēni delirium incidit. Quid commemorem animosi illius Gregorii Pauli, in salutato suo grege, fugam? Quid ab eodem excitata contra Pædobaptismum certamina cum ipso etiam Statorio suscepta? Quid Ochimisenis infelicissimi cum illis concertationes? Quid obiurgatum à Blandrata Gregorium, quòd minimè opportuno tempore controuersiam de Pædobaptismo mouerit? Extat enim apud me ipsius Blandrata Epistola, (non tamen scripta sine Theseo, si Blandratam bene noui:) in qua Gregorium suo quodam iure non tantum de illa Pædobaptismi controuersia non satis opportunè mota increpat, verum etiam aperte illum à Tritheismo ad Samosatēni dogma reuocare nititur. Incidit enim Blandrata in Transsylvaniam rediens, in quendam paulò*

magis quàm superiores illi, vt aiunt, prouidum: qui quū nimium crassam esse illam Trithearum blasphemiam simpliciter propositam animaduertisset, maluit omnia inuoluere permixtis omnium penè hac in re hæreseôn commentis, quàm simpliciter suam sententiam profiteri. Certè in illis thesibus, quæ illi, cuius nunc nomini libes parco, tribuuntur, ausim dicere & profiteri omniū hæreseôn, quibus vnquã Christi personam Satan oppugnavit, semina contineri: ac proinde hominem illum, quem alioquin eximijs multis dotibus ornatum esse audio, obtestor ego minimus in Ecclesia Dei, sed tamen Dei causam agens pro virilitate vt à Blandrata, selecto Satanae organo, sibi caueat, cuius veneno iam cum afflatum esse nemo non iudicat aliquo in his rebus iudicio præditus: tum vt aduersus illum ambitionis spiritum, quo præstantissimi quique homines in primis à Satana decipiuntur, notes & dies deceret: denique (quod vtinam initio fecisset) nouitios istos prophetas, toti semel Ecclesie omnium sine exceptione seculoris testimonio comprobatae palam repugnantes, & ipsam Christianæ fidei basim conuellentes, ex fructibus saltem prius discernat, quàm aures illis vlteriùs præbeat. Sed quorsum hæc ad te? dicet aliquis: & quæ tibi in alienas Ecclesias auctoritas? Nulla profectò, fratres. & si fortè aliter cogitarem, omnium hominum maxime insanirem. Sed quicumque sunt Christiani, & per Dei misericordiam ad veritatem illius asserendam, & oppugnanda mendacia vocati: minime, ni fallor, vocationis suæ fines transiliunt, si, salua manente vnicuique sua dominio, alij alios solentur, doceant, arguant, ac etiam, si sit opus, increpent, modò id scienter & ritè faciant. Vos igitur Transsylvanos, frater fratres compello, vos Domini seruos vester κύριου δούλους per eius nomen obtestor, cuius gloriæ inferuimus, an quis sit Blandrata, quos in Polonia motus excitarit, quot Ecclesias nascentes euerterit, quot animas pessunderit, quas illic in Filium Dei blasphemias sit eiaculatus,

latus, quid nuper ad Gregorium suum de aeterna, ut ipse vult, τὸς  
 λβγ generatione scripserit ignorare potestis? At enim, dicit aliquis,  
 iam apud nos agnoui Vnius Dei appellatione Filium quoque signifi-  
 cari. Rectius hoc quidem quam antea, ut qui Gregorium & ceteros  
 Tritheitas, ne ipse quidem inficiari possit nihil in contrariam  
 sententiam, nisi ipso auctore, fautore, adiutore scripsisse, vel dixisse.  
 Sed, obsecro, an putatis lubricam anguillam tam facile tenere? an cre-  
 ditis dealbari, tam cito praesertim, posse Aethiopen? an ignoratis qui-  
 bus olim artibus, Arius, Apollinaris, Eunomius, Pelagius, etiam con-  
 uicti & damnati, Orthodoxis illuserint? an istos ad impediendum  
 opus Dei manifestissime, ut tot iam ruinae testantur, ab ipso Satana  
 subornatos, credere potestis alio spiritu regi? Imò liceat etiam mihi  
 aliquid amplius, fratres, bona cum vestra pace loqui. Quanti vobis  
 illa Blandratae vocula cōstitit, an nondum animaduertitis? an non,  
 inquam, sentitis quū hoc à vobis in vestro cathechismo sit extortū, ut  
 non modò symbola reliqua praeter illud quod apostolicū vocant, su-  
 peruacanea nisi ad cōtradicens scriberetis, sed etiā Essentiae, hy-  
 postaseos, homoousij, ceteraque id genus vocabula, ut sophistica re-  
 pudiares, ita illos esse vestra simplicitate abusos, ut vos cum tota  
 vetere orthodoxa Ecclesia, atque adeò cum omnibus Ecclesijs, quae  
 vnquam verae à temporibus Apostolorum fuerunt, commiserit? An  
 non verò dum ista nonnulli à vobis peterent, in mentem vobis venie-  
 bat amplissimus ille Nicenae, Ephesinae, Chalcedonensis Synodi con-  
 fessus, quo nihil vnquam sanctius, nihil augustius ab Apostolorum  
 excessu Sol vnquam aspexit? non adfuit vnus saltem ex multis, qui  
 tam indigno decreto intercedens, maximos illos & praestantissimos  
 angelos Dei, Sophistas fuisse negaret? Nam, ut in ipsis naui aliqui  
 fuerint, qui putat fundamentum omnis religionis, id est veram veri  
 Dei cognitionem illos non tenuisse, sanè indignus est qui in Ecclesia

Dei censeatur. Hocine est, quæso, grata saltem memoria prosequi tot sanctissimorum & eruditissimorum virorum inexhaustos pro hac defendenda & ad nos transmittenda veritate labores, vigilias, lachrymas, gemitus, exilia, martyria? Non pendemus, inquit nonnulli, à patribus, sed à Dei verbo. Quosdam verò etiam non pudet ista, ut loquuntur, Dialectica, potius quam Theologica aspernari. Atqui miror an vnquam isti scripta illorum perlegerint, quibus ut Sophistis conuincantur. Nam si legerunt, qua fronte tandem audent illos opponere Dei verbo, quos constat vno Dei verbo (ipsis etiam Synodis omisissis, quoties ita postularunt illarum, idest veritatis aduersarij) mixos fuisse? Sin verò vel non legerunt prorsus, vel oscitanter legerunt: quis hic pudor est discipulos sedere suorum magistrorum: etiam non auditorum iudices? Ista verò putida obiectio, voces illas in scripturis non inueniri, quoties obiecta, audita, repulsa, damnata est omnium bonorum & doctorum iudicio? Certe si nullis alijs vocabulis vtendum est, nisi quæ totidem literis in sacris libris reperiuntur: & qui verbi diuini diuicias explicandæ gratia, proprias & accommodatas aliquas voces adhibent, sophistæ censendi sunt, in quas tandem angustias redigemur? imò quid tandem agent illi ipsi quum ad sua defendenda venerint, qui nunc verbi Dei prætextu, hoc vnum moliuntur, ut vos exarmatos opprimant? Nam ego quidem sic statuo, etsi non pendet aliunde rerum sacrarum veritas, quam ab vnico Dei verbo, & sedulo vitanda nobis est omnis *νενοσηρία*: tamen sublato essentia, & hypostaticò discrimine (quibuscumque tandem verbis) vtaris, & abrogato *ὁμοουσίῳ*, vix ac ne vix quidem istorum blasphemorum fraudes detegi, & errores satis perspicue coargui posse. Nego quoque sublatis vocabulis, Nature, proprietatis, hypostaticæ vnionis, *ἰδιωματικῶν κοινότητων*, posse Nestorij & Eutychis blasphemias commode à quoquam refelli: qua in re si forte bal-

lucior,

lucinoꝝ, hoc age nobis demonstret qui potest, & nos illum coronabimus. Illud tamen minimè inficior, quàm simplicissimè proponendam esse Christianæ religionis doctrinam, in Catechismis præsertim: vitandas apud populum abstrusas controuersias: τὸ ὄτι explicandum semper, τὸ δὲ ἰστί, nunquam nisi sobrie & prudenter attingendum: denique hac ætate nobis de hominibus ad emendationem vitæ adducendis potius laborandum videri, quàm de difficillimis istis quæstionibus subtiliter & enucleatè explicandis. Hæc, inquam, omnia minimè inficior. Sed an simplicitatis prætextu damnari vt sophistica oportuit, quæ ab ipso sancto Spiritu dictata fuisse, veritas ipsa clamat, & rerum exitus ostendit? an abstrusas controuersias mouet, qui rudi etiam populo, sed iam ab hæreticis fascinato, errores in quibus versatur patefacit, pseudoprophetarum fraudes & mendacia firmis & solidis rationibus, nusquam tamen à verbo Dei deflectens, refutat? an τὸ ὄτι simpliciter tractat Paulus ad Galatas scribēs? an idē frustra requirit in Episcopo, vt sit nō tantum δὲ ἰστί, sed etiam ἐλεγεῖσθαι? an quia vitanda est omnis curiositas, idcirco nulla est habenda necessitatis ratio? Isti verò qui per summā imperitiam somniant dialectica Theologicis opponi, cōmiseratione sanè potius digni sunt, quàm vlllo responso. Primum enim putare posse quenquã absque ratiocinãdo ratiocinari, siue id ex arte, siue ex sola natura facias, hominis est prorsus amentis, & qui se hominē esse planè sit oblitus. Deinde videntur isti ignorare, Dialecticē non esse ex earum disciplinarum genere, quæ materiam ipsam, de qua agitur, suppeditēt: sed id demum ostendere, quomodo materia à quibusuis sumpta, ita sit vtendum, vt quid cui sit consentaneum vel minus, quid ex quo consequatur vel non consequatur ostendat, ne falsis ratiocinationibus decepti, pro veritate mendacium sequamur. Quod quum ita se habeat, necesse est profectò vt isti de rebus sacris vel nullo prorsus modo, vel sine vlla ratiocinatione, quæri ac disceptari velint: quod vtrunque vel ex co



prorsus absurdum & ineptum esse conuincitur, quòd ne ipsi quidem  
 huius diuinissimæ artis hostes illam possunt nisi ratiocinando oppu-  
 gnare. Illud autem homines imperitos fallit, quòd rationibus agere  
 nullum putet, nisi qui ex suo cerebro rationes petat. ac proinde quum  
 humana ratione Theologia minimè nitatur, excludi quoque Diale-  
 cticen arbitrantur: quod figmentũ rursus nullam refutationẽ mere-  
 tur. Quis enim non videt aliud esse rationẽ, aliud ratiocinationem?  
 Illam ceu materiã sua cuique ars subministrat: hanc natura docet, ars  
 expolit, quæ Dialectice vocata est, quoniam homines de quouis aliũ-  
 de subministrato, aptè & ad veritatem appositè loqui docet. Hoc do-  
 num, quod est manifestum imaginis Dei in hominibus vestigium, qui  
 aspernantur, necesse est, vel damnent quod non intelligunt (quod non  
 est certe sapietis:) vel ex eorum sint genere, qui videri volũt cum ra-  
 tione insanire. Nunc superest vt oblata ista occasione, studiosos omnes  
 veritatis in re omnium longè maxima, id est in religione, retinenda  
 cohorter, vt quo loco res sint, & quid sui sit muneris diligentissimè  
 circumspeciant. Constat de iuris nostri tabulis. Si de interpretatione  
 quæritur, liquet etiam quibus & quot modis illas corrumpere ab  
 initio conatus sit capitalis ille noster hostis: quibus itẽ rationibus à  
 summis ducibus mala illius artes (nã de vi manifesta nunc non ago)  
 detectæ fuerint, & veritas fortiter defensa. Hoc autẽ non ita fuerit  
 difficile nunc quoque intelligere, & in vsũ nostrum transferre,  
 quum eò sit redactus Satan, vt veluti exhausto illo mendaciorum  
 omniũ fecundissimo pectore, planè cogatur *μαρτυρεω*, & vetera il-  
 la interpolata, sicut paulò ante ostẽdimus, reponere. Nititur, fateor,  
 Veritas Dei verbo, & cum iudicio legẽdi sunt Patres. Sed quis nul-  
 lam adhuc Ecclesiam fuisse, (vt certe nulla fuit, si isti vera dicunt)  
 concesserit? nisi fortè Ecclesia est, quæ quis sit verus Deus ignorat.  
 Deinde si aliunde quoque libet quinam isti *opervandũ* sint aestimare,  
 nempe ex manifestis Dei iudicijs, quibus blasphemias in Filium suum

eiaculatas in oculis omnium vindicauit, quid est isto quoque iudicio  
 apertius? Seruetus vstulata blasphema lingua aeternitatem, id est  
 Deitatem Christi negans mortuus est, in medijs ignibus illas aeter-  
 nas flammās velut oculis spectatorum non sine magno omnium hor-  
 rore subiiciens. Gribaldus peste correptus, fugientibus illum omni-  
 bus, vix à quo sepeliretur inuenit. Lismaninus à quo introductus  
 fuit Blandrata, seipsum in puteum abiecit. Vir ille istorum perditō-  
 rum hospes, quod tandem mortis spectaculum praeiuit? Ochimus apo-  
 stata quam miserabiliter obierit cum suis, tota Polonia nouit. Illum  
 qui nō ita pridem in Transsylvania Christo postridie maledicturus  
 erat, quid ab extremo corporis & animae exilio, ruēte repente domo,  
 praeter longam illam Dei μαρτυρίαν eripuit? Gentilis qua tandem  
 morte anno superiore infelicem vitam finit? Etsi autem ista non sunt  
 prorsus ἀποδεικτικά: tamen qui priora cum posterioribus compararit,  
 & propius omnia inspexerit, inueniet profecto in istis tā manifesta  
 diuini furoris testimonia, vt mihi quidē, vel sola sufficere merito posse  
 videantur, tū istis quos adhuc expectat Dei patientia ad mētem me-  
 liorem reuocandis, tum etiam ceteris expergefaciendis, ne vltro sese  
 cum istis perditos velint. Tuum autem est in primis, Augustissime  
 Rex fortissimae Polonorum Gentis, in eo quod tam feliciter cœpisti,  
 constantissimē pergere, neque pati vt qui Filio Dei maledicit (quis  
 autem apertius ei maledicit, quam qui siue vnum siue verum Dei no-  
 men, (nec enim plures veri natura dii esse possunt) ad solum Patrem  
 restringunt, vel illum in creaturam transformant?) regnum tibi à Fi-  
 lio Dei commissum eiusmodi blasphemijs reddat irae Dei omnipo-  
 tentis obnoxium. Tuum quoque est, Serenissime Transsylvanicae Rex,  
 quem penē in sinu imprudens foueas circumspicere, ne ex eo regno  
 quod tibi mirabiliter Dominus tot iam annos conseruat, & nuper  
 etiam sibi incepit consecrare, quispiam ipso Mahumete nihilo melior,  
 auctoritate regij tui nominis abutens, in vniuersum Christianum

orbem, impetum faciat, magis certè nociturus animis, quàm si vel Moschus vel Tartarus, vel Turca insigni aliqua victoria potiretur. Neque verò difficile vobis fuerit, Augustissimi reges, istorum malorum architectos dignoscere, si in hanc rem seriò incubueritis, quum ista controuersia tam sepe tamque multipliciter ab ipsis Apostolorum temporibus agitata, tamque feliciter exposita perpetuò doctorum bonorumq; omnium consensu fuerint, vt de istis ne ambigere quidem nunc bona cõscientia quisquã, vel mediocriter in verbo Dei & Ecclesiasticis libris versatus, posse videatur. Vos autè Illustres & generosi Domini, quos Dominus ille Dominorum vera sui cognitione in utroq; illo regno dignatus est, osculamini Filium, nec committite vt qui sua illum Deitate spoliãt, apud eos consistãt, quos in primis oportet ipsius gloriae ac dignitatis vindices & assertores se præbere. Vos verò fratres obseruandi, quibus pascendos suos greges Dominus cõmisit, an obsecro, vel vnicam ouiculam patiemini vestro silentio vobis ab immambus istis lupis eripi? Te Threci, te Lasici, te Sarnici (quos ego in tanto doctorum & piorum numero, vt mihi de nomine notos cõpello) vos deniq; reliqui Ecclesiarum pastores, ac doctores, obsecro, & obtestor in Domino, vt totis animis istum toties victum, toties prostratum hostem aggrediamini, nec prius cõquiescatis, quàm exerto illo verbi Dei gladio <sup>ἀποκτείνω</sup> freti, vel istos nunc perditos rursus Domino lucrifaciat, vel saltem ab illorum luporum incurfibus tutos vestros greges præstetis. En autem vobis <sup>συναγωνιστὰς</sup> summittimus homines ex præcipuis Christianarum academiãrum doctoribus selectos, quorum vel solo nomine vos recreatum iri speramus. Nos verò corporibus quidem absentes, spiritu verò presentes, vobiscum scitote in summi illius nostri agonothe'te oculis decertare, cõmunis victoriae fructum breui, fauente Deo, vobiscum percepturos.

Geneuæ Nomis Augusti.

1567.

VALEN-

1

V A L E N T I N I G E N T I -  
lis impietatum & triplicis perfidia ac periurii, de  
quibus cognouit Senatus Geneuensis, breuis expli-  
catio ex actis publicis descripta.



VVM ante annos quatuor subolscessent Ita-  
licæ ecclesiæ, quæ apud nos est, Seniores, inter  
quosdã è suo grege peruersos sermones cõtra  
primũ fidei nostræ caput de tribus in vna Dei  
essentia personis agitari: nullum melius reme-  
dium illis visum est, quàm edita confessionis  
forma, cui omnes subscriberent, detegere si  
quod occultum virus lateret: quam hîc è verbo ad verbum Latinè  
redditam inseruimus.

C O N F E S S I O F I D E I E D I T A  
IN ITALICA ECCLESIA GENEVAE,  
XVIII. Maii, anno M. D. LVIII.



Portuit quidem modestis omnibus Christianis sufficere fidei con-  
fessionem, Symbolo Apostolico comprehensam. Quia tamen  
nonnulli, quos sua quedam curiositas à pura & vera fide abdu-  
xit, sparsis quibusdam falsis opinionibus & erroribus, pacem ac  
consensum huius Ecclesiæ perturbanunt, visum est nobis edere præsentem fi-  
dei confessionem de vna & simplice Dei essentia, & trium personarum di-  
stinctione, tum vt occurramus omnibus istis Satanae vesutijs, tum etiam vt  
aduersus istos impostores satis instructi simus, atque adeò vt demonstremus  
nos vno corde idem sentire & ore loqui, pariterque reuicere ac detestari omnes  
hæreses illi puræ fidei contrarias, quam adhuc retinuimus, & ad extremum vs-  
que sequi decreuimus.

Profitemur ergo Deum Patrem ita genuisse ab aeterno suum Verbum, siue  
Sapientiam, quæ est vnicus ipsius Filius, & Spiritum sanctum ab vtroque illo-  
rum ita processisse, vt vnica sit ac simplex essentia, Patris, Filij, & Spiritus san-  
cti. Quòd autem Pater à Filio, & ab vtroque Spiritus sanctus sit distinctus, id  
fieri personarum respectu.

Itaque damnamus ac detestamur eorum errorem, qui dicunt Patrem simpliciter suæ essentiæ respectu, & quatenus (ut ipsi loquuntur) solus est ac verus Deus, Filium suum genuisse, perinde ac si diuina maiestas, gloria, essentiæ, denique vera illa deitas esset solius Patris propria, aut Iesus Christus & Spiritus sanctus essent dii ab illo procedentes, ac proinde diuisa esset ac separata diuinæ essentiæ unitas.

Ceterum quum vnum duntaxat Deum profiteamur, agnoscimus quicquid eius deitati, gloriæ, & essentiæ attribuitur, tam conuenire Filio quam Spiritui sancto, quum simpliciter agitur de Deo, absque mutua inter se personarum comparatione. Sin autem personæ inter se comparentur, obseruandæ sunt singularum proprietates, quibus ita distinguantur, ut Filius non sit Pater, nec Spiritus sanctus sit Filius.

Quod attinet ad personam Domini nostri Iesu Christi, præterquam quòd ab omni aternitate genitus est à Deo Patre, & est persona ab eo distincta, credimus eum in humana quoque natura, quam nostræ salutis causa induit, verum ac naturalem esse Dei Filium: quoniam videlicet duas naturas ita in vnum coniunxit, ut sit vnicus Mediator, Deus manifestatus in carne, seruatis tamen vtriusque naturæ proprietatibus.

Porò ita hanc Confessionem edimus, ut sanctè testemur ac polliceamur per eam fidem qua Deo sumus obstricti, nos hanc doctrinam obseruaturos, & in ea ita perseueraturos, ut nunquam directè vel obliquè, consultò quidem ac malitiosè, illi repugnemus, ad fouendam vllam dissidij speciem, quo possit ab ista concordia discedi. Denique, ut omnibus discordijs in posterum occurratur, profiteamur nos viuere ac mori decreuisse secundum huius Ecclesiæ doctrinam, & contrarijs omnibus sectis restituros. Hæc omnia cõprobamus, recipimus, ac confirmamus, ea conditione, ut qui secus faxit, pro periuro ac perfido habeatur.

Ioh. Syluester Telius, supra scriptam confessionem approbo, & quicquid ei repugnat detestor.

Fr. Porcellinus, recipio & approbo quicquid supra scripta confessio complectitur.

Ioh. Valentinus Gentilis Cosentinus, accipio vt supra.

Hippolytus Pelerinus Carignanus, accipio vt supra.

Ioh. Nicolaus Gallus, accipio vt supra.

Ea in conuentu proposita fuit, ut liberum singulis esset in medium contrà proferre, siquid reprehensione dignum censerent.

Itaque

Itaque potuerunt homines impunè tribus circiter horis linguas suas blaterando exercuerunt: inter quos princeps fuit Iohanes quidam Paulus Alciatus, homo non stolidi tantum ac vafani ingenii, sed planè phreneticus ad rabiem usque. Tantum illis licentiæ fuit concessum, ne postea obstreperent, sibi ius loquendi fuisse ademptum. Sedata omni contentione, nulli fuit vel controuersia vel mora quin omnes subscriberent, sex duntaxat exceptis, quorum vnus erat Valentinus: qui tamen vocati, manu sua testati sunt consensum. Hoc modo qui Ecclesiæ tranquillitati studebant, putarunt obuiam itum fuisse malo, ne longius serperet. Ecce paulò post Valentinus, spreto iureiurando, suos susurros in obscuris angulis spargere, & tentare simplices ac imperitos, an quos irretire suis insidiis posset. Re perspecta, Senatus cognitionem suscepit: ac statim multorum testimoniis periurii conuictus, quia tergiuersando locus non erat, causari cœpit conscientia stimulis se fuisse impulsam. Auditus est in splendido grauium & doctorum hominum cœtu. Quum eius obiecta refelleremus, vno effugio usus est, se disputandi artificium non tenere. Ita rationibus cum vrgere ac premere nihil profuit. Postea farraginem, quam diu meditatus fuerat, scriptam obtulit Senatui: cuius exemplar subiecimus.

CONFESSIO VALENTINI GENTILIS ILLUSTRISSIMIS DOMINIS GENEbensibus oblata.

**H**æc orationem unicam illum Deum Israel, quem sacra litera nobis proponunt, solum verum Deum, & quem ventosi Sophistæ negant habere Filium, esse Patrem Domini nostri Iesu Christi: ipsumque Iesum Christum quem ille misit, quatenus est Verbum, esse verum ac naturalem Filium illius vnici Dei Patris omnipotentis. Hæc est summa sententia mea in articulo de æterna generatione Filij Dei: & doctrinæ Genebensis Ecclesiæ penitus subscribo.

Altera confessio eiusdem, iussu illustrium Dominorum exarata.

Equidem censeo primam personam Patris in vnica essentia esse Sophisticam, atque idè hoc sensu à mysterio Trinitatis penitus expungendam. Nam si

Pater esset indiuiduum in essentia simile Verbo, non diceretur verè neque solus Pater, neque ingenuus, neque principium totius diuinitatis. Præterea eiusmodi sententia Quaternitatem potius quàm Trinitatem videtur constitueret. Quod facile sic probari posset,

Vnica illa essentia absque ulla consideratione personarum est ex semetipsa verus Deus: & qualibet trium personarum est item essentialiter Deus. Sequitur ergo Quaternitas, non Trinitas. Quamobrem assero Patrem esse ipsam unicam essentiam: Verbum autem splendorem gloriæ Dei, & expressam imaginem substantiæ illius, hac ratione à Patre distinctum, quòd Pater (vt ait Christus) est solus verus Deus, & essentiator, hoc est informator indiuiduorum: Verbum verò est Filius, simul & verus Deus: neque tamen duo dii, sed vnus idemque Deus. Hæc est summa sententia meæ de vero Patre, veròque Filio: nam de Spiritu sancto nulla est quæstio, & tamen iudicio Ecclesiarum libentissimè subscribam.

Idem Valentinus Gentilis inutilis seruus Iesu Christi, captiuus Geneuæ propter confessionem veri Dei, Domino Copo, Raymundo, Henoco, cæterisque fidelibus verbi Dei dispensatoribus, gratiam & pacem ab illo vnico Deo Israel vero Patre, & ab Iesu Christo, vero ac naturali eius Filio per Spiritum sanctum, Amen.

**S**I quis vnquam indignè persecutionem passus est ab ijs qui veram pietatem profitentur, ego quidem, optimi viri Dei, verè & sine fūco is dici possum. Nam quum ab extremis Italiæ finibus propter Verbum Dei in longinquas & peregrinas regiones me contulisset, nulla alia de causa hanc vestram Ecclesiam potissimùm elegi, nisi vt dominum Calvinum, quem antea nomine obseruabam, de facie cognoscerem & audirem. Postea verò quum apud nostros Italos quæstio de Trinitate ageretur, equidem meam sententiam liberè in medium protuli, cupiens doceri de ijs quæ tum occurrerent, haud vulgaria illa quidem, sed cælesti potius spiritualique speculatione dignissima. Ac ne quis quicquam mea fide indignum (vt est hominum libido prona ad malum) suspicaretur, disertis verbis declaravi, me omnè pluralitatem deorum, & minoritatem Filij toto pectore detestari. Sed quidam imperiosi homines, qui purissimam fidem meam denigrare conati sunt, dominum Calvinum adeò in me irritauerunt, vt ille de me apertè malè sentire non dubitaret. Tandem contetio per illustrissimum Magistratum sedata fuit, egoque

eum aliis doctis ac probis viris subscripsi confessioni domini Caluini, putans fore ut in posterum omnia tuta & tranquilla cernerentur. Quum interim ecce tibi minister noster, nescio quo uestro percitus, nos omnes qui subscriperamus apud exteras nationes oratione publica non solum ut Arianos & Seruetanos notauit, verumetiam ut Georgianos, aut si quid peius dici cogitariue potest. Quod quum ego rescivissem, statim me conuerti ad unicum illum Deum Israel, quem toto pectore colo, purasque manus in calum extollens, rogavi illum qui solus innocentiam meam nouit, ut veritatem suam patefaceret, meque ab hisce calumniis, & imposturis tandem (si vellet) liberaret. Exaudiuit ille preces meas, & veritatem, quam hactenus subobscuram & implicitam tenebam, fugatis tenebris Sole ipso sua benignitate clariorem ostendit. Quam veritatem ipsemet Deus Israel, qui hanc Ecclesiam suam singulari amore prosequitur, sua diuina providentia fecit ut ego iussu illustrissimorum Dominorum frequenti tribunali confiterer. Quod quidem (ut bonum ac fidelem seruum decet) sincere & sine ullo fuco feci iuxta modulum fidei, quae mihi tradita est.

Hæc pauca eo prefari visum est, optimi viri Dei, ut inde intelligeretis verum illum Patrem nostrum maximè esse veracem, nec ullo pacto iis qui toto corde illi fidunt, unquam defuturum. Cætera quæ acta sunt, quando longè notiora sunt, quàm ut illa indigeant narratione, reliquum est ut ad firmas ratiocinationes sententiæ meæ breuiter descendam. Quod sic me facere Dominus ipse Spiritu suo præcepit.

Vtrum vnica essentia concurrat in Trinitatem necne? Si non concurrat, necessariò Trinitas erit sine Deo, imò vana, imò nulla: sin autem concurrat, communis opinio doctorum Quaternitatem statuit, non Trinitatem.

Queritur. Vtrum vnica illa essentia, quam dominus Caluinus negat concurrere in Trinitatem, sit ex semet ipsa verus Deus absque ullo respectu personarum? Puto id eum minimè negaturum. Quare quum qualibet trium personarum sit essentialiter Deus, nunquam poterit inficiari hæc communem doctorum sententiam constituere Quaternitatem.

Tria igitur concurrunt in Trinitatem, Essentia quæ dicitur Pater, Filius & Spiritus sanctus. Atque hæc est vera Trinitas, quæ est trium vnitas, non autem quatuor: quicquid dicat dominus Caluinus de etymo.

Queritur. Vtrum Essentia, Pater, & vnicus ille Deus Israel sint synonyma, quæ possint inter se inuicem supponi & predicari?

Queritur. Vtrum Deus Legis & Prophetarum sit Pater Verbi? Qui hoc negauerit, sciat se in Cerdonis & Archonticorum dogma incurrisse. Præterea



plures deos Patres fateatur oportet.

Queritur: An neget dominus Calvinus, unicum illum Deum Israel esse Patrem Verbi? Si affirmarit, nulla (ut dixi) erit inter nos controversia: sin autem negarit, sic probabo.

Quero ab eo: Vtrum Patriarchæ & Propheta inuocauerint unicum illum Deum Israel? Neque id puto eum negaturum. Sed quando frustra inuocatur Deus sine Mediatore, queritur per quem Mediatorem inuocarint illum? Apertè quaeso hic respondeat: (nam vana est illa tergiversatio, Non necesse est illum semper occurrere.) volo enim doceri, an habuerint Mediatorem, necne. Per Christum respondeat oportet. Per Christum, inquam, (est enim ipse Christus verè Filius Dei, & verus Deus) ut Filium, an ut Deum? Absit ut Christus fuerit illius Mediator ut Deus. Si igitur fuit illis Mediator quatenus Filius, sequitur ergo, quòd unicus ille Deus Israel est verus & naturalis Pater Christi, ut Verbi, sine respectu alicuius personæ.

Quare, qui asserunt Christum esse Filium Dei respectu illius personæ Sophistica, magnam illi quidem iniuriam faciunt, tum unico illi Deo Israel, tum etiam Christo eius Filio. Sic enim asserentes, fatentur se non minus ignorare verum Patrem quàm verum Filium, in quorum pura cognitione consistit vita æterna, ut ipse Christus Patrem alloquens ait: Hæc est vita æterna, ut cognoscât te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quomodo enim solum verum Deum, Patrem cognoscent, qui negat illum habere synonymiam cum Essentia, quæ est solus verus Deus? Quomodo etiam cognoscent Iesum Christum, qui contra auctoritatem Scripturarum faciunt eum Filium illius Sophistica personæ? Licet enim Sophistæ Christum Filium Dei prædicent, quum tamen unicum illum Deum sterilem & infœcundum sibi fabricati sint, non verum ac naturalem, sed supposititium Filium intelligant, necesse est. Quasi unicus ille Deus Israel nequierit sibi Filium gignere, nisi illa diabolica persona sibi illum supposuerit. Quis vnquam talia fando, audierit? Quis non videt, optimi viri Dei, hoc diabolico commento totam Trinitatem adulterasse Sophistæ, Deum illum fœcundum, sterilem facientes: Patrem, personam illam Sophisticam: Verbum, Filium eiusmodi personæ: Spiritum sanctum quoque procedentem ex ambabus illis personis fictitis & adulterinis? Quapropter haud improprie in hos torqueri posset illud Danielis vaticinium: Adorabunt Deum quem non cognouerunt Patres eorum. Quis enim vel Patriarcharum, vel Prophetarum, vel Apostolorum cognouit vnquam eiusmodi Deum, qui sibi Filium non genuerit? Turcarum Deus is est, non Christianorum.

Queritur:

Quæritur: Dum contendunt Christū esse Filium Dei respectu personæ, an intelligant eum esse naturæ Dei Filium, necne? Si affirmarint, sināt quæso tandem valere illum respectum personalem, & liberè cum Scripturis pronuntient eum verè Filium Dei, sin autem negarint, sciant vniuersam Scripturam aduersum se stare. Quamobrem etiam atque etiam viderint p̄ Ecclesiarum Pastores, ne hac in parte Sophistarū errorem sequantur, qui Patrem negant & Verbum, negant enim Patrem, dum non ipsum Essentiatorem dicūt, sed personam in Essentia fingunt: & negant Verbum, dum personæ fictitiæ Filium credunt, non autem vnici ac veri Dei omnium conditoris, dando illis quæ non sunt, auferendo quæ sunt. Quis est qui vincit mundum (clamat dilectus ille) nisi qui credit quod Iesus est Filius Dei? Qui verò confessus fuerit Christum Filium Dei, (Dei inquam, non autem personæ) Deus in illo manet, & ipse in Deo. Nos credimus testimonium Dei, quo testatus est de Filio suo: Qui Filium non habet, nec vitam habet. Non habet autem Filium, qui eum negat esse Filium illius inuisibilis Patris, qui est solus & verus Deus.

Quæritur: Vtrum vnicus ille Deus Israel fuerit semper Pater, necne? Qui negat illum vel tantillum temporis Patrem non fuisse: & Deum mutabilem facit, & in familiam Arij migrat. Fuit igitur semper Pater: sed cuius fuit Pater, nisi Verbi?

Item quæritur: Vbi ait Apostolus, Quum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum: Quisnam Deus Filium suum miserit? Illene qui est Deus Legis & Prophetarum, an illa persona Sophistica?

Mitto multas alias ratiocinationes, & innumeras ferè absurditates, quas longum esset recensere. Hæc pauca attigi tantum, vt intelligeretis veritatem ipsam & vniuersam Scripturam à me stare. Vnum illud addam, optimi viri Dei, me ob nullam aliam causam persecutionem pati, quam quod constanter affirmem Christum esse Filium illius vnici Dei Israel, Dei inquam, Abrahamæ, Isaac & Iacob. Quasi vos non idem & sentiat, & quotidie concione emint: imprimisque dominus Raymundus, qui nunquam non in diuinis suis concionibus hanc sententiam inculcat. Sed ne quis existimet me aliquid detrahere æternæ maiestati Filij Dei, testatum omnibus facio, me illum, exceptis proprietatibus, siue distinctionibus, equalem Patri facere. Pater enim est solus verus Deus: Christus autem est Filius simul & verus Deus: neque tamē duo dij, sed vnus idemque Deus. Habet enim Christus vnā eandemque Essentiam cum Patre.

Vestrum esto nunc iudicium, optimi viri Dei, an hæc mea sententia Animum sapiat, aut seruetū, vt aduersarij cauillantur. Mihi quidem illi certe potius

videntur vana Serueti somnia sectari, qui asserunt Christum esse Filium nescio cuius personae phantasticae, Scripturis sacris profus incognita.

Præterea hanc meam sententiam delirium appellat dominus Calvinus. Vtinam veteres doctores sic delinissent! Nunquam enim tantas tenebras offundissent hominum mentibus. Sed non est meum de me dicere. Si vera sunt quae vobis propono, soli Deo laudes debentur, non mihi, qui nunquam talia odoratus essem, nisi à Deo didicissem. Illud vnum bona cum venia vestra ad laudandam, hanc solam distinctionem satis esse ad probandam veram Trinitatem aduersus omnes haereticos & infideles. Præterea vniuersa Scriptura est ad eam aperta, ac ubique sibi similis, vt nullus fuci faciendi locus haereticis amplius relictus sit. Quam quidem distinctionem, vt tenacius cunctis haereat, visum est hisce exemplis quasi quadam in tabella spectandam omnibus proponere.

Pater Verbi est Deus Israel.

Verbum est Deus Israel.

Haec propositiones ambæ verae sunt, sed conuersiones non ambæ. Si quidem,  
Deus Israel est Pater Verbi, vera est:

non autem,

Deus Israel est Verbum. propterea quod Verbum Filiationem & Essentiam designat: Deus autem Essentiam tantum, vt Pater. Quod ignorans Sabellius, confundit omnia, terram mari, mareque cælo permiscens.

Quamobrem optimi viri Dei, innocentiam meam etiam atque etiam vobis commendo. Equidem in tam optima causa nullum alium iudicem quero, præterquam ipsam Trinitatem, vosque etiam omnes. Quomodo enim qui verbo Dei nitor, Ministrorum fidelium Verbi Dei iudicium recusabo? Vestrum igitur erit, de quaestione tam seria sententiam ferre. Equidem polliceor me (modò personas quas sustinetis, optima fide referatis) ne latum quidem unguem à vestra sententia discessurum. Valete viri Dei omnes in Domino, & me vestris precibus sedulo iuuate, ipsumque dominum Calvinum aequiore, si pote est, mihi reddite. Datum è carceribus.

Ego qui supra, Valentinus Gentilis, manu propria.

**D**ominus Philippus Melancthon vir nunquam satis laudatus, fol. 53 Locorum communium, de Spiritu sancto agens: Necessè est, inquit, personam esse distinctam, quæ est aliquid Dei: quæ definitio, meo quidem iudicio, vt maxime conuenit Filio & Spiritui sancto, ita plurimum abhorret à Patre. Persona enim siue proprietas Patris non est

non est aliquid Dei, sed est ipse vnicus Deus, ipsamet Essentia: veluti quum ipse Deus dicit, Ioel 2, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Nam sicut passim legere est in Scripturis sacris, Spiritus Dei, Christus Dei, Verbum Dei, Sermo erat apud Patrem: ita nusquam legitur, Pater Dei, Pater erat apud Deum. Quare rectè ab Irenæo & Tertulliano per Patrem seu Patris personam vbique vnicus ille Deus atque Essentia ipsa designatur, vt in sequentibus sententiis licebit animaduerrere.

## EX IRENÆO.

Ex libro primo, fol. 47. lite. A.

Hic qui Deus est Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, super quem alius Deus non est, neque initium, neque virtus, neque pleroma, hic Pater Domini nostri Iesu Christi.

Ex lib. 2. Fol. 66. lite. B.

Quoniam autem hic Deus est Pater Domini nostri Iesu Christi, & de hoc Paulus Apostolus dixit, 1. Cor. 8, Nobis tamen vnus Deus Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum.

Fol. 126. lite. A.

Hic Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus viuorū, quem & Lex annuntiat, quem Propheta præconizant, quem Spiritus reuelat, quem Apostoli tradunt, quem Ecclesia credidit: hic Pater Domini nostri Iesu Christi, per Verbum suum, qui est Filius eius, per eum reuelatur & manifestatur omnibus quibus reuelatur.

Ex lib. 3. fol. 145. lite. A.

Te igitur inuoco Domine Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, (qui est & Israel) Pater Domini nostri Iesu Christi: Deus qui per multitudinem misericordiae tuae & bene sensisti in nobis, vt te cognoscamus: qui fecisti calum & terram, & dominaris omnium: qui es solus & verus Deus, super quem alius Deus non est.

Fol. 166. lite. B.

Sed cum omni fiducia Iudæis & Græcis prædicabāt: Iudæis quidem Iesum, qui ab ipsis crucifixus est, esse Filium Dei: Iudicem viuorum & mortuorum: à Patre accepisse æternum regnum in Israel, quemadmodum ostendimus: Græcis verò, vnum Deum, qui omnia fecit, & huius Filium Iesum Christum annuntiantes.

Fol. 173. lit. A.

Quoniam neminem alium Deum inuocauerunt, vel Dominum nominauerunt, qui veritatis fuerunt prædicatores, & Apostoli libertatis, nisi solum verum Deum Patrem, & Verbum eius.

Fol. 144. lit. A. lib. 3. cap. 6.

Per Filium itaque, qui est in Patre, & habet in se Patrem, iis quibus est manifestatus, Patre testimonium præbente Filio, & Filio annuntiante Patrem.

Pendenda sunt hæc verba, Qui est in Patre, & Habet in se Patrem.

Ex lib. 4. cap. 8. fol. 211. lit. A.

Et bene qui dixit, ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Patris Filius, quoniam & capit eum.

Hæc verba procul dubio Patrem Essentiatorem constituunt.

Fol. 276. lit. A.

Vnus ergo & idem Deus Pater, qui plantauit vineam, qui populum eduxit, qui Prophetas misit, qui Filium suum promisit, qui vineam dedit aliis colonis, iis qui reddunt fructum in temporibus suis.

Ex lib. 5. fol. 326. lit. B.

Ostendimus autem & in tertio libro, nullum ab Apostolis ex sua persona Deum appellari, nisi eum qui verè sit Deus Pater Domini nostri.

### EX TERTULLIANO AD- uersus Praxeam.

Fol. 146. lit. C.

Quæcunque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen Filij vindico: & dum Filium agnosco, secundum à Patre defendo.

Ibidem, lit. G.

Non tamen diuisione alium Filium à Patre, sed distinctione, quia non sit idem Pater & Filius vel modulo alius ab alio. Pater enim tota substantia est, Filius verò derivatio totius & portio.

Hic substantiam posuit pro Essentia.

Fol. 148. lit. C.

Consequens erit, ut inuisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine maiestatis: visibilem verò Filium agnoscamus pro modulo derivationis.

Solet enim Tertullianus personas Verbi & Spiritus sancti distinctas, sed in diuiduas ab Essentia, derivationes appellare, & quasi portiones totius: ita tamen ut eæ totum capiant ac complectantur.

Fol.

Fol. 149. lit. F.

Non enim desinit esse qui habet Filium, ipse vnicus, suo scilicet nomine, quoties sine Filio nominatur. Sine Filio autem nominatur, quum principaliter determinatur vt prima persona, quæ ante Filij nomen erat proponenda. Quia Pater antè cognoscitur, & post Patrem Filius nominatur. Igitur vnus Pater, & absque eo alius non est.

Etiã hîc graphicè proprietatem Patris depingit.

Fol. 152. lit. A.

Sicut ergo Sermo Dei nõ est ipse cuius est: ita nec Spiritus, etsi Deus dictus, non tamen ipse est cuius est dictus. Nulla res alicuius ipsa est cuius est. Planè quum quid ex ipso est, & sic eius est, dum ex ipso sit: potest tale quid esse, quale & ipse ex quo est, & cuius est. Et idè Spiritus Deus, & Sermo Deus, quia in Deo: non tamen ipse ex quo est. Quòd Deus Dei tanquam substantiua res non erit ipse Deus, sed hæctenus Deus, quia ex ipsius Dei substantia: quæ & substantiua res est, & vt portio aliqua totius.

## EX EODEM IN LIBRO

de Trinitate.

Fol. 234. lit. M. de Patre differens.

Henoc transfulit, in amicitia societatem Abraham adlegit, Isaac protegit, Iacob auxit, Mosen ducem populo præfecit, ingemiscientes filios Israel è iugo seruitutis eripuit, Legem scripsit, Patrum sobolem in terram repromissionis induxit, Prophetas Spiritu instruxit, & per hos omnes Filium suum: Christum repromisit, & quando daturum se sponndit, misit.

Fol. 235. lit. D.

Eadem regula veritatis docet nos credere post Patrem etiam in Filium Dei Christum Iesum Dominum Deum nostrum: sed Dei Filium, huius Dei qui & vnus & solus est, conditor scilicet rerum omnium.

Fol. 236. lit. B.

Hæc enim cõtumelia hæreticorum ad ipsum quoque Deum Patrem redundabit, si Deus Pater Filium Deum generare non potuit.

Ibidem, litera D.

Vt enim præscripsit ipsa natura, hominem credèdum esse qui ex homine sit: ita & Scriptura Deum esse, qui ex Deo sit.

Fol. 237. lit. M.

Quique Sermo caro factus habitauit in nobis, ex nobis hic Christus non

b. ii.

homo tantum, quia hominis filius, sed etiam Deus, quia Filius Dei comprobatur.

Fol. 138. lit. I.

Quum ratio & temperamentum Scripturarum caelestium Christum ostendat Deum, sed quem Filium Dei, & assumpto à Deo etiam Filio hominis, credendum & hominem.

Fol. 239. lit. M.

Quandoquidem non tam veteris quam novi Testamenti Scriptura divina ubique ostendat illum ex Patre genitum, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, qui obedierit semper Patri, & obediat, semper habentem rerum omnium potestatem, sed quam traditam, sed quam concessam, sed quam à Patre propriè sibi indultam.

Fol. 240. lit. E.

Missum præterea esse dicit, ut hanc obedientiam, qua venit Dominus Christus missus, non Pater, sed Filius probetur. Qui missus est utique, si Pater fuisset. Missus autem non fuit Pater, ne Pater subditus alteri Deo, dum mittitur, probaretur.

Fol. 241. lit. A.

Quomodo enim ego & Pater unum sumus, si non Deus est & Filius? Qui idcirco unum potest dici dum ex ipso est, & dum Filius eius est, & dum ex ipso nascitur, dum ex ipso processisse reperitur, per quem & Deus est.

Ibidem, litera B.

Deus est ergo. Deus autem sic, ut Filius sit, non Pater.

Fol. 242. lite. C.

Imago est enim inuisibilis Dei, ut mediocritas & fragilitas conditionis humanae Deum Patrem videre aliquando iam tunc assuesceret in imagine Dei. Gradatim enim & per incrementa humana fragilitas nutrirì debuit per imaginem ad istam gloriam, ut Deum Patrem videre posset aliquando. Pericula enim sunt quæ magna sunt, si repentina sunt.

Ibidem, lite. E.

Quomodo ergo Deus erit, si Angelus fuerit, quum non sit hoc nomen Angelis unquam concessum, nisi quoniam ex utroque latere nos veritas in istam concludit sententiam, quia debeamus intelligere Dei Filiū fuisse, qui quoniam ex Deo, est meritò Deus, quia Dei Filius dictus sit: quoniam annuntiator paternæ voluntatis est, magni consilij Angelus pronuntiatu est.

Fol. 243. lite. A.

Hic autem qui ista promittit, Deus atque Angelus esse perhibetur, ut me-

vitò distinctio sit inter eum, qui non Deus simpliciter, sed & Angelus pronuntiatur.

Fol. 245. lite. E.

Est ergo Deus Pater omnium institutor & creator, solus originem nesciens, inuisibilis, immensus, immortalis, æternus, vnus Deus: cuius neque magnitudini, neque maiestati, neque virtuti quicquam, non dixerim præferri, sed nec comparari potest.

Ibidem, lit. G.

Deus vtique procedens ex Deo, secundam personam efficiens, sed non eripiens illud Patri, quòd vnus est Deus.

Ibidem, lit. I.

Nam quum id sit principium cæteris, quòd ingenitum, Deus solus Pater est, qui extra originem est, ex quo hic est qui genitus est.

Ibidem, lit. K.

Deus quidem ostenditur Filius, cui diuinitas tradita & porrecta conspiciatur. Et tamen nihilominus vnus Deus Pater probatur.

Si singulas sententias quæ pro me faciunt, calamo persequi vellem, ingens mihi opus scribendum esset. Nullus enim extat doctor, quin aliquando hanc meam sententiam non attingerit, etiam ipse dominus Calvinus. Sed quando Irenæus & Tertullianus videntur ex professo illam tueri, cæteris relictis, his contentus esse volui. Res est maximi momenti, optimi viri Dei. Agitur enim de cognitione veri Patris, & de vera cognitione Filij & Spiritus sancti: quorum veram gloriam & maiestatem si quisquam alius tuendam susceperit, vos probè scio vsque ad supremam guttulam sanguinis tuiturum. Quamobrem, optimi viri Dei, vestrum est, prius quàm sententiam feratis, hæc autoritates diligenter dispicere, locos Scripturarum perpendere, & vestram operam vnico illi Deo bona fide præstare. Sic enim facientes, pro certo habeo, tot monstra, quæ tandem Trinitatem inuaserunt, Spiritu Dei qui habitat in vobis, vos facillè interempturos: ipsamque Trinitatem, tot hæcenus impetitam blasphemis & conspurcatam, in pristinum suum nitorem ac candorem vindicaturus. Quòd si qui meam distinctionem reijciunt, veram illam quidem, & Sacris literis apprimè consentaneam, ipsi suam in lucem proferant. Nam quæ vanitas est hæc, distinctionem asserere, & interim nullam proferre? Expecto igitur magno cum desiderio vestrum oraculum, imò Dei per vos. Valete Christiani Hercules, vtique heroes, non immemores captiuitatis meæ. E carceribus.

b.iii.



H A E C tui ille. Nos verò postridiè scripto quoque respondi-  
mus, in eum qui sequitur modum:



*N*te hac putauimus errore te labi ac ignorantia: nūc ex postremo tuo sermone & scripto deprehendimus & peruersi ingenij hominem, & fastus intolerabilis, & virulentia deditum, & maligno spiritu imbutum, denique haereticum peruiticem. Quod non dicimus conuicti causa, sed vt hanc prauitatem exuere discas, & ad docilitatem flectaris: quia initiū respicientia tua erit ( si tamen respicere tibi dabitur) modestia & humilitas cum sincero pietatis studio coniuncta. Zelum apud nos martyris Christi frustra obtendis, quem perspiciamus mera arrogantia fuisse adductum, vt impium errorem & absurdissimum obtruderet.

Plausibile tibi est principii illud, Deum Israel, quem Sacrae literæ asserunt, verum Deum, esse Patrem Iesu Christi: ipsum verò Christū esse vnici Dei Filium. Atqui clarè apparet, quū Patrem opponis Filio, & vni duntaxat veram Deitatem tribuis, te excludere alterum, quem cum illo confers. Nos quoque ingenue fatemur, non alium esse Deum, quàm Deum Israel: & hūc Deum esse Patrem Christi. Sed tunc nō opponimus inter se Patrem & Filium, ac si in solo Patre esset Dei Essentia: sed eadem ratione qua docemus Patrem Christi esse Deum Abrahamæ, Isaac & Iacob, sequitur Christum esse illum eundem Deum. Hic diligenter expende quòd impingas, dum in cōparatione fingis duo antitheta. Exclames licet Christū à te agnosci verum Deum, si solus eius Pater est vnicus Deus & Deus Israel, non obscure deiicis eum è gradu in quo Patrem vnum eius respectu locas. Faceat antithesis inter Patrem & Filium, tibi nobiscum non malè cōueniet: quia quum vna sit vtriusque Essentia, in Patre inclusus est Filius, vbi fit Deitatis mentio.

*Isa. 6.* Venenū erroris quod vafre occultas, sic melius detegitur. Deus qui *Isaia* ap-  
*Ioā. 12.* paruit, fuit verus Deus Israel, & vnicus Deus. Hunc *Ioannes* affirmat fuisse  
*Isa. 8.* Christum. Deus qui pronūtiat per *Isaiam*, se fore in lapidem offendiculi *Iudæis*,  
*Rom.* fuit vnicus Israelis Deus: *Paulus* Christū fuisse docet. Qui per *Isaiam* clamat,  
*9.* Vno ego, mihi slecterur omne genu: certè solus verus Deus fuit. Atqui idem  
*Isa. 45.* *Paulus* Christum interpretatur. Nec verò quæ recitat *Apostolus* testimonia,  
*Heb. 1.* nisi in vnicum Israelis Deum cōpetunt, Tu Deus fundasti terram, &c. Hinc  
clarè colligimus, æternū Dei Sermonem illum fuisse Israelis Deum. Si exci-  
pias hoc te fateri, quid tu futiliter in vtramque partem garrias, nō curamus: quia  
interim manet conuicta hæc impietas, Solum Patrem esse Deum verum.

Concidit

Concidit etiam alter ille non minus detestabilis error, In solo Patre esse Essentiam. Nam quū in locis nuper citatis ponatur nomē Iehoua, sequitur Filii Dei ex seipso esse, solius Deitatis respectu. Nam si est Iehoua, negari non potest quin idē sit ille Deus, qui per Isaiam alibi clamat, Ego, ego sum: & præter me non est Deus. *Isa. 45.* Vtile etiam tibi esset expendere quid illud Ieremix sibi velit, *Iere. 10.* Dij qui non fecerunt caelum & terram, pereant de terra quæ sub calo est. Nisi enim palam maledicere velis Filio Dei, fateri necesse erit, illum esse cuius Deitas sæpius apud Isaiā probatur ex mundi creatione. Quomodo autem Creator qui omnibus esse dat, non erit ex seipso, sed Essentiam aliunde quasi precario mutuabitur? Neque est quod fucum hic facere tentes, de æterna Filij generatione te nobis subscribere. Nam quum Essentiatum à Patre dicis, à seipso esse negas. Reclamat ex opposito Spiritus sanctus, illum Iehoua nominans. Iam si tota Essentia est in solo Patre: vel tu eam partibilem nobis finges, vel eripies eam Filio. Vt cunque nunc centies concedas esse verum Deum, spoliatus tamen sua Essentia, titularis solum erit Deus. Hic attende rursus, an non vel Essentiam Diuinam Filio detrahat, vel deriuationem partis à toto somniet, quisquis Essentiam in Patre loco personæ substituit. Essentia Dei secundum te soli Patri competit, quatenus ipse solus est, & est Filij Essentiator. Vbi erit Diuinitas Filij, si est aliquid abstractum à Dei Essentia? Iam de Spiritu sancto quid dices? Si enim solus Pater Essentiator est, non erit communis Patris & Filij Spiritus. Vis personam Spiritus nihil aliud esse, quàm deriuationem à prima Essentia, quæ Patri vni propria est. Hinc tibi extorquebitur à solo Patre esse Spiritum, & perperam à Paulo, Rom. cap. 8. vocari Spiritum Christi. Videsne ut tua deliria quasi multiplices laquei te inuoluant, adeoque strangulent? Adhæc si personam Patris expungis è Trinitate: in quo à Filio & Spiritu differet, nisi quia solus est ipse Deus? Fateris Christum esse Deum, fateris à Patre differre: vicissim notam aliquam discretionis esse oportet, ne Pater sit Filius. Tu quum in Essentia eam ponis, nonne manifestè in nihilum redigis veram Christi Deitatem, quæ sine Essentia esse non potest, & quidem tota?

Nisi te prorsus excacauit superbia & furor, discite aliquando Patrem à Filio non distingui, nisi proprium aliquid habeat in se, quod Filio commune non sit. Quid iam reperies in quo Patrem à Filio distinguas? Non erit certè Essentia. Nam si eam communicauit cum Filio, vel in solidum vel ex parte comunicauit. Si ex parte, dimidium nobis Deum fabricas. Quomodo enim plena cõstabit Deitas, nisi in tota & perfecta Essentia? Hoc erit, scilicet, suum honorem dare Filio Dei, Deum partialem fingere. Adde quòd hoc modo nimis scelestè

ac foedè laceratur Dei *Essentia*. Restat ut dicas *Essentiam* perfectè & solidè communem esse *Patris* & *Filij*. Quod si verum est, iam certè quoad ipsam nulla erit alterius ab altero discretio. Si respondeas, *Patrem* *essentiando* manere nihilominus unicum Deum, penes quem sit *Essentia*: *Christus* ergo figuratiuus erit *Deus*, ac specie tantum vel nomine, non re ipsa: quia Deo nihil magis proprium

Exo. 3. est quàm *Esse*: iuxta illud, *Qui est, misit me ad vos*.

Quòd ratiocinaris, Si *Pater* esset indiuiduum in *Essentia*, nõ fore solum *Patrem* atque ingentitum in eo crasse hallucinaris, quòd indiuidua tibi somnias, quorum singula partem *Essentia* obtineant. Atqui docemus ex *Scripturis* Deum *Essentialiter* unum esse: ideòque *Essentiam* tam *Filij* quàm *Spiritus* esse ingentitam. Sed quatenus *Pater* ordine primus est, atque ex se genuit suam *Sapientiam*: merito censetur principium & sors totius *Diuinitatis*. Ita *Deus* indefinite est ingentitus, & *Pater* etiam persona respectu ingentitus. Quòd autem ex nostra sententia colligere te putas *Quaternitatem*, hoc est cerebri tui commentum. *Gloriaris* quidem caelesti reuelatione errore tibi esse traditum. Quasi verò ignota sint nobis nenia magistri vestri *Gribaldi*, quas tuus condiscipulus *Georgius* sedulo huc illuc curauit spargendas. Nam ubi pinxit figuram, in qua *Patrem* facit *Deificatorem* *Filij* & *Spiritus*, alteram nobis falso & perfidè adscribit, quasi deriuatiuè fingamus prodire ex una *Essentia* tres personas: quum tamen certo certius sit, non abstrahere nos personas ab *Essentia*: sed quanuis in ea resideat, distinctionem interponere. Hoc sensu indiuiduos *Tertullianus* vocat *Patrem* & *Filiu*: non autem (ut tu stultè imaginaris) indiuidua, quae sub specie comprehendantur. Tibi paralogismus iste tuus arridet, *Essentia* in semetipsa est verus *Deus*: Quilibet persona *Essentialiter* est *Deus*: Ergo est *Quaternitas* non *Trinitas*. Quasi verò fabricemus tres *Deos* conflatos ex massa *Essentia*, ita ut quaeque persona partem aliquam faciat. Nos verò *Filium* *Essentialiter* *Deum* esse asserimus, quia unicus est ille *Deus*, cuius simplex est *Essentia*: praeterea autem respectu persona à *Patre* genitus est. Si separatae essent ab *Essentia* persona, probabilis esset tua argumentatio: sed quum in uno *Deo* docemus esse tres personas, sequitur *Patrem* esse *Deum*, & deinde *Filium* esse eundem *Deum*. Praestigijs autem tuis *Filium* *Dei* fabricas *Essentiatum*, & simul tamen absque *Essentia*, nisi quòd *Pater* suam *Diuinitatem* in eum transfudit. Atqui, si ex parte, iam lacera erit *diuinitas*, & ex transfusione sequetur diminutio. Si in totum, ergo *Diuinitas* quae ante fuerat penes *Patrem*, in *Filiu* conuersa, in ipso *Patre* euauit. Quid obstrepas in contrariam partem, susque deque nobis est: quia agnoscant sani omnes & integri *Lectores*, consequentiam hanc certam esse & solidam.

Hinc

Hinc soluitur futilis tua quæstio: Vtrum Essentia cõcurrat in Trinitatem, necne. Satis enim liquet, quum tota sit in singulis personis, non cõcurrere. Quòd inde inferis Trinitatem fore sine Deo, imò vanam & nullam, ex eadem insul-  
sitate sensus tui nascitur: quia etsi non concurrat ad distinguendas personas, sed  
absque distractione unica est ac simplex, nõ tamen personæ sine ipsa vel extra  
ipsam: quia ideò Pater est Pater, quia Deus: & Filius est Filius, quia Deus.  
Deum enim esse oportet Sapientiam illam æternam, quæ genita ex Deo. Dei-  
tatem absolute ex seipsa quidem esse dicimus: unde & Filium, quatenus Deus,  
sublato personæ respectu, ex seipso esse fatemur: quatenus verò Filius est, dici-  
mus esse ex Patre. Ita essentia eius principio caret: personæ autem principium  
est ipse Deus. Hoc vt ad tuam Quaternitatem arripere desinas, exuere discas  
commentum illud, Personas esse abstracta quedam Deitatis. Adde quòd vete-  
res quicumque de Trinitate loquuti sunt, ad personas tantum retulerunt hoc no-  
men. Et certè non modò absurdus esset error, in Trinitate completi Essentiam,  
sed nimis crassa impietas. Quarum, obsecro, rerũ dices esse Trinitatem? Respon-  
des tria concurrere, Essentiam, Filium, & Spiritum. Hinc verò planè perspici-  
tur, te essentiam Filij & Spiritus exinanire. Alioqui partes inter se commix-  
ta coinciderent, vt loquuntur: quod est in omni distinctione vitiosum. Concur-  
runt ad naturam & statũ hominis anima & corpus. Si anima in corpus trans-  
fieri, iam cessaret concursus iste. Ita nisi bis cæcus es, clarè videre potes cõfusam  
in Deitate mixturam à te fieri, non secus atque in electo, quoniam vnus Pa-  
tris erit Essentia, Filij & Spiritus Diuinitas, forma erit qualem tu imaginaris,  
fides autem concipere non potest. Quòd autem de voce Trinitatis tã aperte con-  
uictus, non vis tamen cedere, in re minima produs maximam impudentiam. Vis  
enim toto inuito mundo Trinitatem esse Trium vnitatem: quasi non idem signi-  
ficet Latinis, quòd Græcis nomen τριῶν. Sed ita de reprobis & desperatis lo-  
quitur Deus, Nesciunt erubescere.

Quòd quæris vtrum Essentia, Pater, & vnicus ille Deus Israel sint synony-  
ma, quæ possint inter se inuicem supponi & prædicari: iam plus satis responsum  
est. Si enim essent synonyma, Essentia & Pater, liceret tibi pedibus calcare  
Christum, quasi vmbra: quia nulla esset in ipso Diuinitas. Hæc enim deliræ  
tue speculationis summa est, Si Essentia est Pater, & Pater Essentia: sequitur  
neque Essentiam esse nisi in Patre, neque Patrem aliud esse quàm Essentiam.  
Item, Si Pater est vnicus Deus Israel, & Deus vnicus Israel est Pater: ergo  
Christus non fuit vnquam, neque est Deus Israel. Nos autem docemus Patrem  
esse vnicum Deum Israel, vt interea non excludatur Filius.

Quòd quæris, *An Deus Legis & Prophetarum sit Pater Verbi, improbi & proterui scurræ partes agis. Nec certè hîc nobis tēperare possumus, quin saltem vno verbo excutiamus tibi Thraſonicum hunc fastum. Audēsne Cerdonem nobis obiicere nebulo, vt tam claram lucem obscures, quæ te subterfugia omnia captantem irget? Tu stas ad Tribunal p̄ij Magistratus, reus ob execrandas blasphemias: vt te explices, nos in Cerdonis partes perturbare conaris.*

*Eadem etiam petulantia erumpit in Archonticis: quasi in hac Ecclesia, vbi sub specie ouis fuisti lupus & vulpes simul, audieris Angelos prædicari mundi creatores.*

*Eodem etiam redit proxima quæstio, quæ eadem est, An neget Calvinus vnicum Deum Israël esse Patrem Verbi. Tu verò Sycophanta satis supérque tenes, quid tibi etiam nuper nobis audiētibus dixerit, pridem verò tenere debueras quid coram toto mundo prædicent eius scripta, & quid apud populum quotidie doceat. Apage ergò cum tuis probationibus. Sed interea, vt scias te hominem esse phreneticum, imò demoniacum, memoria repetas quod nuper diximus, Quia synonyma non sunt Pater Christi, & Deus Israël, sententiam non posse conuertri, vt Filio excluso deitas restringatur ad solum Patrem. Nec verbis digna est illa canina improbitas, quam principium illud sumis, Deum non posse inuocari sine Mediatore. Hoc etiam, nisi plusquam turpiter ingratus esses, debueras acceptum referre Caluino, Deum non exaudire preces nostras nisi per Mediatorem. Quid postulas vt tibi clarè respondeat hac de re, quam toti mundo sonore restatus est? Nisi te possideret Satan, certè in istam petulantiam non erumperes. Tergiuersationem vocas quod scripserat Calvinus docendi tui causa. Si quaeritur annon tutior precandi forma sit, dum inuocamus Patrem in nomine Filij: respondemus, sicut iam diximus, hanc esse ordinariam & magis familiarem, quia aptior est ruditati nostræ & utilior. Sed alias formas, quæ etiam in vsu fuerunt Apostolis, & quas illis Spiritus sanctus dictauit, damnare sacrilegæ temeritatis esset. Nec valet illa obiectio, Frustra Deum inuocari absque Mediatore: quia etsi fixum est illud principium, Non exaudiri nos nisi per gratiam Mediatoris, non tamen semper in promptu occurrere necesse est. Iam præterit annus, ex quo scriptum hoc cum tuis condiscipulis legisti: & adhuc discendi studium simulas, quasi diabolus in Christi schola velit proficere. Hæc nobis extorsit fœtida illa tua eructatio. Iam tibi de re simpliciter respondemus, Mediator fuit Christus, vt Deus manifestatus in carne. Neque enim homo, nisi simul Deus esset, perduceret nos ad Deum. Fatemur quidem humane naturæ respectu Christum nobis esse Mediatorem, quatenus aduocatus est noster, & apud Pa-*

trem pro nobis intercedit: sed utranque naturam comprehendi necesse est, ubi  
 de Mediatore agitur. Proinde quod infers, nefas esse vocare Christum Media-  
 torem, ut est Deus, proptus est diabolicum. Maior etiam insulsitas in eo quod  
 proximè sequitur, Si Mediator fuit, quatenus Filius, Deum Israel esse eius Pa-  
 trem sine personæ respectu. Sed quicquid Thraſonice iactes, ex hac blasphemia  
 perspiciamus te nunquam seriò inuocasse Deum. Reliqua omnia quæ subiicis,  
 non longa refutatione opus habent. Tu qui iuras neque Theologum, neque phi-  
 losophum te esse, magistrali supercilio doctrinam tibi incognitam perinde dam-  
 nas, ac si nuper è cælo delapsus esses, Lucifer. Vide interea ut te implices. Ab-  
 ominaris si quis dicat Christum esse Mediatorem, quatenus Deus est: Mediato-  
 rem verò dicis esse, quatenus est Filius. Vbi ergo eius deitas, si in aterna genera-  
 tione non reperitur? Neque hoc tibi nunc demum per incogitantiam excidit:  
 testes enim sumus, pertinaciter te negasse Christum ea ratione, qua Filius est,  
 debere Deum censerì: unde sequitur alia ratione esse Deum. Ita Trinitas tua,  
 non erit Trium vnitas, sed coniunctio vnus Dei cum duabus rebus creatis. Ser-  
 mo ille Christi ad Patrem, Hæc est vita aterna, ut credant te vnū verum Deū,  
 & quem misisti Iesum Christum, clarè tibi fuit expositus. Nam illic Christus  
 in Mediatoris persona loquens, medium gradum tenet inter Deum & homi-  
 nes. Neque tamen idèd imminuitur eius Maieſtas. Nam et si seipsum exinani-  
 uit, gloriam tamen suam, quæ abscondita fuit coram mundo, non perdidit apud  
 Patrem. Sic Apostolus 2, ad Hebræos cap. quanquam fatetur exiguo tem-  
 pore fuisse imminutum infra Angelos, non tamen dubitat simul asserere, æ-  
 ternum esse Deum qui fundauit terram. Tenendum igitur est, quoties Christus  
 in persona Mediatoris Patrem compellat, sub hoc nomine Diuinitatem com-  
 plecti, quæ ipsius quoque est. Sic quum Apostolis diceret, Expedi me ascen-  
 dere ad Patrem, quia Pater maior me est: non secundam diuinitatem tamen  
 sibi tribuit, ut sit quoad aternam essentiam Patre inferior: sed quia celesti  
 gloria potitus, fideles colligit in participationem diuinitatis, vocat Patrem  
 maiorem, quatenus differt conspicua splendoris perfectio quæ in cælo appa-  
 ret, ab ea gloriæ mensura quæ conspecta fuit in ipso carne vestito. Eadem  
 ratione apud Paulum dicitur, Reddet regnum Deo & Patri, ut sit Deus om-  
 nia in omnibus. Querimus abs te, an Christus quem cogeris Deum fateri, ef-  
 se desinet. Quod si perpetuitatem eius deitati cõcedis, sequitur sub Patris nomi-  
 ne vnica Dei essentiam, quæ tam Filij est quàm Patris, comprehendi. Et cer-  
 tè ideo ad nos descendit Christus, ut ad Patrem attollendo simul etiam ad sei-  
 psam attolleret, quatenus vnum est cum Patre. Quæ postea euomis conuitia,

omittimus, ubi Filium Dei quem predicamus, in diabolum transfiguramus: Deum quem colimus, vocas Deum Turcarum, multaque eius generis. Sed vide miser, ne te precipitauerit tuus furor, ut voces emitteres quæ per iugulum redeant.

Quod quaeris, An natura Christum esse Filium Dei putemus: facis pro tuo more, in re extra controuersiam posita, rixandi & pugnandi ansam quærens. Natura dicimus esse Filium Dei, quod tu calumniator minimè ignoras: sed stultè inde inferis, non liberè & verè predicari Dei Filium, nisi personali respectu valere iusso. Nam quauis Dei nomen etiam Filio commune sit, absurdum tamen negamus uat' ἐξοχὴν Patri interdum adscribi: quia ut alibi dictum est, fons est ac principium Diuinitatis. In hac doctrina nihil Sophisticum, sed mera Scripturæ simplicitas. Quod autem Sophistas esse dicis, qui negant Deum esse Filij Essentiatorem, qua arrogantia id tibi sumis, ut homo nullius pretij tam imperiose damnare audeas, quicumque prodigioso tuo commento nõ subscribunt? Nam ex omnibus hæreticis, quorum magna fuit colluuius, tu primus es inuentus qui mundo hoc portentum Essentiandi obruderet. Odiosè quidem colligere tibi uideris, Si Filius Dei est Christus, non esse Filium personæ. Neque verò ita solemus loqui, sed postquam ingenuè confessi sumus esse Dei Filium, explicandi causa addimus, Non discerpi hoc modo Dei unicam essentiam, neque auferri Christo Deitatem: sed esse Filium Dei Patris, quatenus Sermo est ab ipso ante secula genitus. Tu verò quoties solum Patrem garris esse verum Deum, Filio non nisi fictitiã Deitatem relinquis.

Quòd quaeris, An unicus Deus Israel fuerit semper Pater, necne: quære alios quibuscum de hac re litiges. Scis enim quid ferat huius Ecclesiæ doctrina & fides de aeterna Verbi generatione. Inde inferis, Deum igitur Patrem esse Verbi: quod non inficiamur. Cur autè non progressus fueris ultra, videmus, Blasphemix odium fugitare uoluisti, Dei Patris essentiam Verbo nõ esse communem.

Quòd obiicis, Sophisticè tribui Patri personam, si verè dicit Apostolus, Deũ misisse Filium suum: iam tibi responsum fuit, non posse Deum esse Filij sui Patrem, nisi personæ respectu: quia alioqui vel partibilis esset Dei essentia, vel Filius ipse Deus non esset. Itaque Deum ipsum Israel audire præstat te stantem qualis sit, quàm impurum canem de eius mysteriis proteruè blaterantem. Speciosi sunt isti pretextus, te nihil detrahere Christi maiestati, quin sit unus idemque Deus, & eiusdem essentia. Sed quam inferis exceptio, fucos illos faciliè discutit. Exclusiue enim Patrem vocando solum Deum, & exclusiue Essentiam illi asserendo, palàm demonstras in Filio neque veram esse Deitatem, neque Essentiam. Neque verò nos latet argutia illa, Christum esse verum Deum,

quia

quia essentiatuſ sit à Patre. Sed hoc modo videmus precariam fieri eius Deitatem, cui datum est esse. Adde, quòd mutuo conflictu sese prosternunt tua commenta. Nam si nota discretionis quam statuis, vera est, Residere in solo Patre Essentiam: quomodo stabit illud, Eadem quoque essentiam esse Filij: quæ certe nulla erit, si eam vendicat sibi solus Pater, & eius ratione à Filio suo differt. Si causam tuam probare nobis volebas, non debuisti tam crassis mendacis ora nobis oblinere.

Satis iam putamus discussas esse absurditatum nebulas, quibus fidei nostræ lucem obtenebrare frustra tentaſti. Tabella tua ubi Verbum Dei fateris esse Deum Israel, ne simplicium oculos perstringat, vno verbo dilui potest hic fucus. Nam quum Patrem solum asserens Deum Israel, Filium semper excludas, non relinquis huic Diuinitatem, nisi secundam & creatam, imò imaginariam: quia secundum te essentia caret, nisi quatenus essentiatuſ à vero Deo: quem tamen solum vis præditum esse essentia, vt Filius & Spiritus titulares sint personæ. Quantunus ergo flexuosus sis serpens, tuis istis ambagibus nihil proficies. Itaque propositio quam asseris esse veram, Deus Israel est Pater Verbi: si Verbum ipsum excludat, impia est ac sacrilega. Atqui nihil aliud latratu tuo contendis, nisi vt vera Deitate Christum spolians, Patrem statuas solum Deum. Hæc tua est innocentia, nempe diabolica vasfrities, qua conaris solem detrahere è calo: nisi quòd in reprobum sensum coniectus, impudètia Satanam superas.

Supereſt vt locos ex Irenæo & Tertulliano citatos, breuiter explicemus. Neque enim sigillatim singulos excutere necesse erit, quando vna est omnium solutio. Hoc tantum ex Irenæo adducis, Patrem Christi esse solum Deum Israel. Quod tibi erroris causam præbuerit, conicere licet. Arrisit scilicet tibi nomen Dei Israel, quasi aliquod subesset mysterium. Atqui animaduertere debueras sancto viro negotium & certamen fuisse cum phreneticis, qui Patrem Christi negabant illum esse Deum qui per Mosen & Prophetas olim loquutus fuerat: sed nescio quod spectruſ è labe mundi productum. Itaque in hoc totus est, vt ostendat eundem illum Deum, qui per Mosen & Prophetas loquutus est, esse Christi Patrem, & perperam alium Deum excogitari. Non mirum igitur si toties concludat, nõ alium fuisse Israelis Deum, quàm qui Pater est Iesu Christi. Sic etiam nunc, ubi tuis blasphemis resistendum est, verè dicemus Deum qui olim apparuit Patribus, non alium fuisse quàm Christum. Porò si quis excipiat, fuisse Patrem: in promptu erit responsio, dum pro Filij Diuinitate pugnamus, nos Patrem minimè excludere. Si ad hoc Irenæi cõsiliuſ attendas, cessabit omnis disputatio. Quòd si hæc ratio intemperiem tuam nondum



placat, obiicimus tibi caput sextum libri tertij, vbi in hoc vnum insistit pius vir, qui absolute & indefinite vocatur in Scriptura Deus, illum esse, verè vnicum Deum; Christum verò indefinite & absolute Deum vocari. Memineris hunc disceptationis statum fuisse Irenæo, sicuti ex toto progressu patet, ac præsertim libri secundi capite 46, non vocari Patrem æignaticè & parabolicè qui verè non sit Deus. Adde nonum caput libri tertij, vbi coniunctim tam Filium quàm Patrè dicit à Prophetis & Apostolis prædicatum fuisse Deum. Duodecimo autem capite libri tertii docet, quomodo Christus, qui Dominus est omnium, & Rex, & Deus, & Index, ab eo qui est Deus omnium, accepit potestatem, nempe subiectionis respectu: quia humiliatus est vsque ad mortem. Interea capite decimosexto eiusdem libri tertii palàm affirmat, Filium esse opificem cæli & terræ, qui Legem tulit per Mosis manum, & Patribus apparuit. Iam vt centies blateres, solum Patrem esse Deum Israel, regerimus tibi quod idem scriptor capite decimo octauo eiusdem libri dicit, Christum vnum & eundem existere: sicuti & 23 capite ad Christum refert vaticinium Habacuc, Deus ad Austro veniet. Eodè pertinet quod legitur cap. nono quarti libri, Ipse igitur Christus cū Patre viuorū est Deus: sicuti & duodecimo eiusdè libri interpretatur Abraham credidisse Deo, quia factor cæli & terræ & solus Deus sit Christus. Nam quòd expendi iubes hec verba, Filium esse in Patre, & habere in se Patrem, nescimus quorsum. Certè fidem nostram optimè confirmant. Ceterùm eadem impudentia arripis illud, Mensuram Patris esse Filium, quia & capit eum: quasi Patrem essentiatorem constituent. Nos verò hinc facile cognoscimus, te nunquam gustasse in quem finem datus nobis fuerit Christus. Nam quia Dei immensitas in Filio à nobis concipitur, ideo vocatus fuit mensura. Tu autem phreneticè hoc ad originem essentia trahis.

De Tertulliano primùm sic accipe: quanuis asper ac spinosus interdum sit eius sermo, summam doctrinæ quam tuemur eum non ambigè tradere: nempe quum vnus sit Deus, dispensatione tamen vel œconomia esse eius Sermonem: vnicum verò esse Deum per substantiæ unitatem, & nihilominus unitatem mysterio dispensationis in Trinitatè disponi: tres esse non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie. Porro quum aduersus Monarchicos disputat, diserte pronuntiat euertere Dei monarchiam, quum alia dominatio quasi æmula superinducitur. Vnde apertè colligitur, vbi Deitatis, summique imperii, & æternæ essentia fit mentio, Filium perperam opponi. Secundum à Patre ergo defendit Tertullianus, non qui alius sit nisi distinctione.

Secundum

Secundum verò testimonium quod adducis, nisi per cōcessionem sumatur, excusari nullo modo poterit, Quòd scilicet Filius sit totius substantiæ derivatio, & portio. Atqui toto cōtextu omnē dubitationē eximit, unicā esse substantiā asserens: præsertim verò ubi addit explanationis causa, Benè est quòd & Dominus alium Paracletum vocans, non diuisionem significat, sed dispositionem: quam sententiam fusius deinde prosequitur. Alioqui Dei essentiam secari in partes absurdissimum foret. Sed hinc quoque deprehendere licet quod antè admonuimus, te sub fictitiæ Deitatis larua impiè obtegere quod proferre non audes.

Tertium quoque testimonium peruersè mutilas. Neque enim illic definit Tertullianus quid sentiat, sed in vtramque partem ratiocinatur quomodo inuisibilis sit Pater, Filius autem visibilis. Iam tibi absurdi obiectio fidei confessio visa est. Atqui paulò post tollitur omnis ambiguitas, Filium esse inuisibilem quatenus est Sermo. Disce igitur posthac consideratius singula expendere, ne pauca verba excerpens, aliud subinde pro alio subiicias.

Quartum testimonium sic nobis suffragatur, ut non aptior querenda sit probatio. Dicit enim Patrem determinari sua persona. Quod autem in fine addit, Vnū esse Patrē, & absque eo non esse alium, quàm insulse torqueas, ex proximo capite patet: ubi seipsum explicans, Filium negat aliū esse à Patre Deum, ideòque non violari monarchiam, personæ distinctione. Vbi nunc tuum illud conuitium, à Trinitate debere expungi Patris personam, quia sit Sophistica, quādo essentiam ubique tribus facit communem, tantum verò personis discernit, quia Pater Filium facit, & Filius vicissim Patrem: denique concludit Patrem Deum esse solum, nempe à cæteris fictitiis, qui alii sunt?

Sed apud te parum proficiemus, donec ad perpetuum scriptoris consilium attendas. Contendit enim aduersus Praxeam, quansis in tres personas distinctus sit vnus Deus, non tamen fieri plures Deos, neque discerpi vnitatem: & quia secundum Praxeam commentum Christus non poterat Deus esse, quin esset Pater, ideo tantopere de distinctione laborat. Quod verò & Filium & Spiritum portionem totius vocat, etsi dura est locutio, blasphemiam tamen quā attingis minimè continet: quia nō ad substantiā hoc refertur, sed dispositionē & œconomia tantum notat, quæ solis personis conuenit: sicuti clarè sæpius testatur. Inde etiam pendet illud, Quot personæ tibi videntur, peruersissime Praxea, nisi quot sunt voces? Vides vt Patris nomine nō simpliciter essentia, sed personam velit designari. Sic etiam paulò post, Vt credant Patrem & Filium in suis quæque nominibus & personis. Vbi autem essentiæ fit mentio,

*Sermonem docet nihil aliud esse quàm Deum. Quare Tertullianum, qui totus noster est, committere nobiscum in certamen volens, non minus tuam impudentiam quàm inscitiam produs.*

*Simplicior quidem confessio & docendi forma nos oblectaret: sed quia ad crepandas horribiles blasphemias te impulit Satan, nos officij ratio ad hanc sanæ doctrinæ defensionem impulit ac coegit. Dominus ambitione & superbia te purget, subigat tuam cõtumaciam, pravam curiositatem corrigan: quo te mansuetum & docilem veris monitionibus incipias præbere: alioqui te comescat.*

Hoc responso accepto, etsi in eadem qua cœperat petulãtia audacter ad dies aliquot perrexit, sicuti ex eius conuitiis apparet: vbi tamen secum propius expendit, se intemperanter furendo nihil aliud quàm Iudicium animos magis exasperare, repenti exterritus, deposita priore fiducia ad preces se conuertit, ac pœnitentiæ simulationem: quemadmodum ex subiecta narratione patet.

## BREVIS SENTENTIA VALENTINI GENTILIS ANTE ADMISSAM CONFESIONEM Domini Caluini de Trinitate.



*Quidem putabam primam personam Patris in vnica Essentia esse Sophisticam, atque ideo hoc sensu excludendam à mysterio Trinitatis. Nam si Pater esset indiuiduum in Essentia simile Verbo, non diceretur verè neque solus Pater, neque ingenitus, neque principium totius Trinitatis. Præterea eiusmodi sententia Quaternitatem potius, quàm Trinitatem videretur constituere. Quod sic probari potest:*

*Vnica illa Essentia, quum absque consideratione personarum sit ex semetipsa verus Deus: & vnaquaque trium personarum sit essentialiter Deus. sequitur ergo Quaternitas non Trinitas. Quamobrem existimabam Patrem esse ipsam vnica Essentiam, Verbum autem splendorem gloriæ Dei, & impressam imaginem subsistẽtia illius, hac ratione à Patre distinctum, quod Pater (ut ait Christus) est solus verus Deus & essentialiter, id est in formator indiuiduorum: Verbum verò, Filius simul & verus Deus. nequo duo dii tamen: sed vnus Deus. Hæc erat summa sententiæ meæ de vero Patre, veroque Filio. Nam de Spiritu sancto nulla erat quæstio, & tamen confessioni domini Caluini subscripsi.*

*Valentinus Gentilis manu propria.*

*Illustrissimi*

**I**llustrissimi ac verè pij domini, Si vos legistis illam meam cõfessionem, quam iussu vestro nudiusquartus extemplo exaravi: non dubitò quin ex ea facillè intellexeritis, me sat disertis verbis ostendisse, sententiam D. Caluini Quaternitatem statuere, non Trinitatem. Quum verò nudius tertius ipsius D. Caluini præcipuæ partes essent, se tam execrabili errore expurgare, sciens se malã causam apud hoc sanctissimum Dei Tribunal minimè posse sustinere (vt vos probè nostis) ne verbum quidem fecit, sed totum tempus terens in conuitiis, & nescio quibus nugis Serueticis, artificiosè quidem, sed parum honestè elusit. Equidem bis cœpi rem (vt dicitur) acceattingere: sed ille sua mordacitate & conuitiis me semper deterruit. Insuper, (vt vos ipsi audire potuistis) minatus est hoc in caput meum esse vertendum. Quapropter quum satis apertè declararit se esse animo in me nimis infenso, peto à vobis, Illustrissimi domini, ne potètia & volubilitate linguæ hominis mea innocentia opprimatur, vt mihi Patronũ & Aduocatũ concedatis, qui meam optimam causam, vt par est, tueatur. Nam ingenuè fateor me non posse tua conscientia Quaternitatem domini Caluini admittere. Exhibeat ille, vt tãtum Dei Ministrum decet, veram Trinitatem, & nulla erit inter nos controuersa. Siquidem eo sum natus ingenio, vt veritatem præptam in frõte geram. Vt enim ipsam Quaternitatem pernego, sic veram Trinitatem & vnitatem toto pectore amplector. Præterea vos oratos etiam atque etiam velim, me, quòd possim extra carcerem meam causam tueri, sub idonea cautione liberari. Meam enim innocentiam & integritatem spero ad eò cunctis Ecclesijs notam facere, & quasi manibus tractandam præbere, vt ipsi etiam aduersarij fateantur me boni ac pij viri munere functum fuisse. Hæc pauca visum est, Illustrissimi domini, à vobis perquam humiliter postulare, certo sciens, qua estis sanctitate ac pietate præditi, vos quod rectum est executuros, præterea nihil: præsertim quum me esse peregrinum hominem, imperitum linguæ vestra, ac prorsus ignarum rerum Curialium probè intelligatis. Sic vnicus ille Deus Israel verus ac naturalis Pater Verbi, cuius causa nunc agitur, huic sanctissimo Tribunali sua virtute perpetuò assistat, vósque omnes, & hanc urbem vestram in dies magis magisque suis donis augeat, exornetque.

Dixi.

Inutilis Christi seruus, Valentinus Gentilis Cosentinus.



**I**llustrissimi ac clementissimi domini: Nisi causam meam vobis magis, quàm mihi ipsi notam esse plane intelligerem, pluribus e- quidem vobiscum agerem. Sed quia rem omnem probè tenetis, paucis me expediam. Principio nostis me iussu vestro confessio-  
d.i.

nem edidisse. Illa autem edita, meas partes esse duxi, quicquid ad eam rem pertineret, sine fūco Ecclesia proponere, eaque ratione conscientiam meam omni scrupulo liberare. Quod etsi à me liberius fortasse, quam oportuit, factum est: gaudeo tamen hoc nomine, quòd amplissimi Consistorij conscientia ac iudicio me penitus submiserim. Nunc verò quum tot sapientissimi viri, quorum opera Deus manifestè vitur in colligenda Ecclesia sua, luculentissimo scripto meam opinionem vno ore erroneam testentur, visum est potius ipsis vel somniantibus, quam mihi vigilanti credere. Itaque vt pollicitus sum, eorum conscientia, ac sententia libenter acquiesco, eamque (vt debeo) toto pectore amplector. Quamobrem siquid in ipsa actione mihi imprudenter exciderit, quod ipsos dominos Ministros, ac vos quoque, Illustrissimi domini, offenderit, supplex peto, vt simplicitati meae ignoscatur. Nunc enim primum ante Tribunal steteri, atque difficile est in rebus nouis hominem ita se gerere, vt aliqua in re non labatur. Sed de his haecenus. omnia enim bona de clementia vestra & spero & mihi polliceor. Venio ad dominum Caluinum. Absit vt tantum Doctorem in numero Sophistarum vnquam habuerim. Ingenue fateor, impius nedum iniquus essem, si de tam incomparabili viro, ac de Republica Christiana optimè merito talia sentirem. Soleo equidem Sorbonistas, ceterosque Magistros Papistarum Sophistas appellare. De eius doctrina nihil me tale suspicari, religio est dicere. Quare vos etiam atque etiam oratos velim, ne mihi haec nota inuratur, vt illa mea verba quasi in sanctissimam Ecclesiam vestram dicta detorqueantur. Testis est mihi Dominus, me nunquam tale quicquam cogitasse: quin potius hanc Geneuensem Ecclesiam ceteris omnibus puriorem ac mundiore & habui & semper predicavi. Facebant igitur vanæ suspiciones, & nuda regnet simplicitas. Si quid tamen extat in meis scriptis, quod dominum Caluinum vrgeret: id non laedendi sui causa à me dictum esse, mihi velim credatis, sed defendendi mei. Quapropter si quid à me minus reuerenter in ipsum dictum est, non modò ab eo veniam peto, verum etiam (quæ viri est charitas & pietas) oro, vt me totum amplectatur & foueat, inque eorum numero habeat, qui sui nominis sunt perquam studiosi. Quod si in tot meis miseris mihi contigerit, munere videbor donatus immortalis. Equidem quod ad me attrinet, dabo operam vt tum dictis vestris exequendis, tum illius pietate colenda me omnes fidelem ac constantem predicent. Si Deus, &c.

EPI.

27

EPISTOLA VALENTINI GEN-

TILIS AD SENATVM GENEVENSEM SCRIP-

pta ex carcere, in qua suas blasphemias ag-  
noscit, & veniam deprecatur.

**M**agnifici domini, Certum est quo tempore ex vestro mandato meam illam confessionem vobis obtuli, me tanto zelo fuisse per-  
citum, vt fuerim paratus quoduis supplicium subire, eius defen-  
denda causa: verum simulatque perlegi & attentè expendi so-  
lidam illam & veris rationibus suffultam Consistorij responfionem ad omnes  
meas obiectiones, visum est Patri misericordiarum, qui me passus erat ad tem-  
pus euagari, ita me afficere, vt errorem meum cognouerim, qui quidem tribus  
præcipue fundamentis falsissimis nitebatur. Primum igitur in eo peccaui, quòd  
quum affirmarem vnicum illum Deum Israelis esse Patrem Iesu Christi, non  
animaduerti Filij diuinitatè excludi per illas antitheses Vnius Dei Patris, &  
Christi. Secundò, quum Essentiam considerarem extra personas, inde elicie-  
bam Quaternitatem: quod temerè feci, quoniam Essentia non est alibi quàm in  
ipsis tribus Personis consideranda: quarum vnaquæque est integrè tota illa Es-  
sentia. Tertium peccatum fuit, quòd affirmarem personam Patris esse Sophisti-  
cam: quod ipsum quoque falsissimum est, vt est mihi perspicuè demonstratum.  
In summa, putribus istis ruinis superstructa sunt multa falsa consequitiones,  
quas ego abominor & detestor, profiteorque me nõ aliter hæc intelligere, quàm  
Consistorium in illo suo scripto mihi explanauit. Itaque, Magnifici domini, pu-  
taui vos mihi esse precandos vnà cum Ministris, totaque adeo Ecclesia, vt graue  
& enorme istud facinus mihi condonetis: sicuti non dubito quin Deus, ille cor-  
dium scrutator, id mihi condonauit, vt qui effecerit vt meū errorem summo cum  
animi dolore agnoscerem. Etsi enim dum recordor quantum offendiculum to-  
ti Ecclesie obiecerim, præsertim quum eximio Dei ministro & summo Theo-  
logo Ioh. Caluino tam incõsideratè respondi, idem ille Deus, adeo grauius con-  
scientiam meam vulnerat, vt non facile inueniat in quo acquiescat: confido ta-  
men fore vt mea ista perturbatio in meipso gignat vera poenitentia fructus,  
adeo vt futura mea vita omnem istius offendiculi labem in posterum abster-  
gat. Quoniam autem mihi constat tantam esse horum sanctorum Ministro-  
rum clementiam ac bonitatem, vt miseram hanc pecudem, quæ quum antea  
aberrarit, nunc in viam redit, non modò intra Ecclesie gremium & ouium  
grege[m] sint recepturi, sed etiã exultaturi de mea conuersione. nihil aliud habeo  
d.ii.

quod dicam, præter hoc unum, Magnifici domini, quod à vobis magnopere peto, nempe vt quemadmodum summam operam adhibuistis in curando animi mei morbo, ita etiam nūc habeatis eius ægotationis & inopie rationem, in qua nunc sum constitutus, vt qui abhinc se sequimensem in vestro carcere retinear paupertate simul & morbo pressus: vt illud Christi merito possitis vsurpare, Nos totum hominem seruauimus. Hoc certè factū præterquam quod conuenit principibus verè Christianis, pro singulari beneficio ducam, Si Deus, &c.

*Humillimus vester seruus, Valentinus Gentilis.*

## ABIVRATIO VALENTINI GENTILIS

COSENTINI IPSIVS MANU SPONTE SCRIPTA, & ad Senatum Geneuensem missa.

**C**onfiteor Patrem, Filium, & Spiritū sanctum, esse vnū Deum, id est, tres personas distinctas in vno essentia. Pater non est Filius, nec Filius est Spiritus sanctus, sed vnaquæque illarum personarum est integra illa Essentia. Item, Filius & Spiritus sanctus, quantum ad diuinam naturam, sunt vnus Deus cum Patre, cui sunt coæquales & coeterni. Hoc illud est quod ego sentio, & corde simul ac ore profiteor, & confido fore per Dei gratiam vt in hac confessione viuam & moriar. Omnes autem hereses huic sanctissimæ veritati contrarias damno & detestor, & quidem nominatim blasphemias illas quas ipse mea manu descripsi: quibus inter ceteros errores Quaternitatem assereram, & Christum statuebam vnus Israelitici Dei Filium, ita vt æterna sua diuinitate spoliaretur. Denique, quoniam ex falsis istis fundamentis multæ falsissimæ consequutiones oriuntur, omnes illas damno & execror, & palam profiteor me in omnibus & per omnia assentiri sanctæ huius Ecclesie doctrinæ, & quidem in primis ac disertè in hoc sanctissimæ Trinitatis articulo: in quo agnosco me tam grauiter tantæque cum blasphemia peccasse, vt libenter velim iam olim interuisse, ne tantum scelus admitterem. Hoc illud est quod sentio in corde meo: & infinitam Dei misericordiam precor, vt in posterum me afficiat tanto istarum rerum sensu, vt aliqua ex parte possint veræ meæ pœnitentiæ fructus ab omnibus cognosci. 29 Augusti, M. D. LVIII.

*Ioh. Valentinus Gentilis, manu propria.*

SIC tum ille. Etsi autem minimè nos latebat, simul ac elapsus esset, fore iterū sui similem, nec quicquam sinceri ab homine fallacissimo

laciffimo expectandum esse: iudicum tamen clementiæ non intercessimus, nobisque quiescentibus lata sententia est, recitata prius ex more, actionis summa. Hoc totum crasso rudique stylo interpretari maluimus, quam vel tantillum à verbis discedere.

PROCESSVS CRIMINALIS FORMATVS CORAM MAGNIFICIS DOMINIS NOSTRIS Syndicis, instante Iurispræfecto, aduersus Valentinum filium Francisci Gentilis Neapolitanum.

**A** ductus in carcerem, confessus est se cum aliis complicibus vulgasse opiniones de sancta Trinitate prorsus falsas & erroneas, Atque hac causa Seniores Ecclesiæ Italicæ coactos fuisse puram confessionem edere, quam se amplecti testatus est, & obseruaturum promisit, ac iurauit sub pœna periurii. Quod subscripsit propria manu.

Sponte tamen confessus est, ex quo ita se obligauerat, reuersum fuisse ad pristinos errores, & eos disseminasse, ut quoscunque posset, alliceret: idque eo pretextu, quod Sophisticum commentum esset, attribuere Patri propriam personam in essentia Deitatis.

Præterea quum in carcere admonitus fuerit tam à Dominis nostris, quam à Verbi ministris, aliisque doctis hominibus, atque etiam abundè conuictus Scripturæ testimoniis: noluit tamen per aliquod tempus culpam agnoscere, imo perstitit tam sermone quam scriptis obstinate & impudenter impietatem suam asserere, conuitia etiam & blasphemias addendo, nos fingere quaternitatem, duos Patres, & deum Turcarum. Ita arroganter ausus est tam huic Ecclesiæ, quam omnibus aliis piis & orthodoxis maledicere, turbanda Ecclesiæ, & excitandi schismatis consilio.

Tandem sponte confessus est se in his rebus grauiter peccasse, & Ecclesiam hæretica impietate offendisse, ac se pœnitentia tangi, seque fateri hæreticum: nec sermone modò, sed etiam scripto abiurauit suos errores, & agnouit in hac Ecclesiæ puram & orthodoxam fidem doceri.

SENTENTIA.

**N**os Syndici, iudices causarum criminalium in hac vrbe, viso processu criminali coram nobis formato, ad instantiam & prosecutionem Iurispræfecti, contra te Valentinum Gentilem, ex quo & voluntariis tuis confessionibus inter manus nostras sepius itera  
d.iii.



ris, cerò constat & liquet te aggressum esse & conatum spargere hereticã & falsam doctrinã & blasphemis plenam contra sacrum mysterium Trinitatis: idque contra datam fidem & iusiurandum, tam ubi pollicitus es te fore nobis obsequentem, quam ubi expresse abiurasti tuã heresim. Nihilominus summa impudentia & arrogãtia conatus es corã nobis impugnare rectã fidem pro tua temeritate & impietate. Atque hoc modo nõ solum periurio te implicasti, sed te declarasti apertum hostem & aduersarium Dei & Ecclesiæ: quod crimen detestabile, & graui pœna corporali dignũ pronũtiamus. His iustis causis & alijs adducti, se dentes pro Tribunali, loco maiorũ nostrorum, ac secundũ antiquum morẽ, participato cum ciuibus nostris consilio, post inuocatum Dei nomen, vt det nobis rectẽ iudicare, Deum & sacras Scripturas præ oculis habentes, cum præfatione consueta, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Quauis malitia & prauitas qua vsus es, merita sit vt extermineris è numero hominũ tanquam seductor, hæreticus & schismaticus: tamen habitatione pœnitentiæ & conuersionis tuæ, de qua apud nos protestatus es, simul ad misericordiã magis quam ad rigorem propensi, hac nostra definitiua sententia, quam ex scripto recitamus & edimus, te Valentinũ Gentilem adiudicamus huic pœnæ, vt exutus vsque ad camisiam, pedibus nudis, & capite discooperato, facem accensam manu tenens, genibus in terram flexis, veniam à nobis & iustitia depreceris, fatendo te impiẽ & sceleratẽ sparsisse falsam & hereticam doctrinã, & scripta tua in eius defensionem detesteris, eaque propriis manibus tuis in ignem hic accensum cõiicias, donec in cinerẽ redigantur, tanquam perniciosis mendacijs referta. Et quo amplior sit reparatio, vt ad clangorem tubæ ducaris per omnia vrbs compita in hoc habitu, cum prohibitione egrediendi ex vrbe. Sit igitur hæc pœna in exemplum alijs qui tale crimen imitari vellent.

Hæc igitur ita vt iudicatum erat, executioni sunt mandata, 2. Septembris, 1558. & ille qui exemplaria suorum scriptorum, sicuti iussus erat, nõ sine rara pœnitentiæ simulatione & fallaci detestatione manu sua palàm cõbussit: postea nudus per vrbe fuit circũductus, vt omnes haberet tum anteaacti sceleris, tum etiam consequutæ, vt omnes quidem arbitrabantur, pœnitentiæ testes. Aliquot verò post diebus idem hunc libellum Senatui obtulit.

SVPPLI.

S V P P L I C A T I O V A L E N T I N I G E N T I L I S , Q V A I M P E T R A V I T A G E N E V E N S I S E N A T V ,  
 v t a b s q u e i n t e r p o s i t o v a d e , p r æ s t i t o t a m e n i u r e i u r a n d o , q u o d  
 p o s t e a f e f e l l i t , e c a r c e r e d i m i t t e r e t u r

**M**agnifici domini, pauper ac miserabilis Valentinus, humilis vester seruus, tanto iam tempore in vestris carceribus versatus, supplex vestre magnificentia significat, quum ipse ex vestro Senatusconsulto, & quidem addita vestre indignationis poenâ, sit interdictum vrbe exire, nisi impetrata à vobis venia, se paratum vobis parere, & omnibus vestris mandatis alacriter obsequi, atque in vrbe vestra commorari quoadiu vestre Magnificentia visum fuerit. Ceterum quod à me petit Commentariensis vt vadè nancisceret, præstari à me nulla ratione potest, præsertim quum hic habitè profusus inops, extraneus, solus, absq; vllis conterraneis, cognatis, vel aliis quibusuis qui vicè meâ commiserentur. Itaque supplex peto vt Magnificentia vestra habeat huius miseriae & inopiae meae rationem, quum tantos sumptus ferre non possim quâris hic est opus: sed quod vnus persoluam, sicut hætenus feci aliqua ex parte, cogar ab aliis emendicare. Denique, cupio vestre Magnificentia totique adeò Ecclesie satisfacere, & eius rei præstandæ ratione mihi preberi quotidie à Domino peto. Sed vt satis nostis, nemo ad id tenetur quod præstare nullo modo possit. Si hoc mihi concesseritis, feceritis quod est iuri cõsentaneum, & singulari beneficio me vobis obstrictum putabo. 5. Septembris 1558.

Valentinus Gentilis, vester seruus.

Hac accepta supplicatione, placuit clemētissimo Senatui ne respiscens Valentinus teneretur vadem præstare. Ipse verò præsens cum iureiurando promisit ex Senatusconsulti formula, se dominorum iniussu vrbe non exiturum: quo impetrato, quum nemo ei molestiam faceret, pro solita sua perfidia clam aufugit ad hominè sui similem, Matthæum Gribaldum, turbulenti prauique ingenii, & fatuis speculationibus deditum: qui domo sua profugus, in quodam latibulum se abdiderat, vbi petulantius quàm vnquam bacchari cœpit, sed apud capras & boues, quia locus ferè desertus erat. Inde quomodo à D. Cayeli præfecto in carcerem coniectus, simulata rursus probitate euaserit, & mox Lugdunum se propiciens, blasphemum illum aduersus Athanasii symbolum libellum ediderit: postea quomodo ibidem captus, odio in Calvinum fuerit dimissus, cæteraque eiusmodi, alius dabitur narrandi locus.

IMPIETAS VALENTINI GENTILIS  
 BREVI SCRIPTO DETECTA, ET PALAM  
 traducta per D. Iohannem Caluinum.

**S**perbis hominibus perinde est, modò dulci nouitatis illecebra curiosos inescando, acumen, quod sæpe nullum est, fallaci specie ostentent: itaque quo magis prodigiosa commenta illis in mentem venerint, eo cupidius arripiant, & audacius insultent, quasi amplio rem laudis materiam nacti. Porro tanta plerosque titillat vagarum speculationum cupido, tantaque leuitas circumagitur, ut facile sit impostoribus, quanuis nec ingenio, nec doctrina, nec dexteritate polleant, tales sibi discipulos momento acquirere. Ita Valentinus Gentilis, homo nihili, faciem ex delirijs Serueti haustam propinans, inspidis palatis persuasit suauem esse potum. Quam absurdum sit quod sibi fabricauit dogma, sanis hominibus ex breui relatu perspicuum fiet. Falli nos dicit, quod in vna Dei essentia tres personas statuimus. Ita enim quaternitatem fingi, ac si Personæ nomen aliquid ab essentia abstractum notaret. Ipse verò nimis crasse hallucinatur, dum tres in Deo proprietates non distinguit, quæ in ipsa essentia resideant, non autem ab ea separantur. Principium illud Scripturæ tenemus, Vnicum esse Deum. Iam dum eadem Scriptura in medium nobis profert Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quid aliud restat, quam in vna simplici que Deitate tres agnoscere personas, quæ tamen non efficiant plures deos, nec essentia unitatem lacerent, aut dissipent? Vbi autem quaternitas reperietur, si vnus Deus tres in se proprietates contineat? Nunc quam scite nostram sententiam corrigat, videre operæ pretium est. Commiscetur essentiam Dei in solo Patre: itaque illum prædicat solum esse verum Deum. Filio deinde concedit Dei nomen, sed quasi precarium: quia scilicet essentiatu sibi à Patre. Ergo personam Patris non aliud esse affirmat, quam essentiam. Filij vero personam, deificationem esse blaterat. Vbi ad Spiritum sanctum venit, omnia permiscet: quia iam antea Filium eundem cum Spiritu asseruit. Atqui si proprie in Patrem competit essentia, sicuti quod vni personæ peculiare est cum altera non communicatur, Filius certè Deus non erit. Quid ergo fiet tot Scripturæ locis, quibus docemur Christum esse illum Iehouam, qui per Moysen dixit, Ego sum qui sum? Vidit Iesaias Iehouam Deum exercituum sedentem in solio: Iohannes interpretatur visam à Propheta fuisse gloriam Christi. Plena est eiusmodi testimonijs Scriptura, quibus nouum hoc portentum essentiationis plus quam liquido refellitur. In principio

erat Sermo, inquit Iohānes. Quodnam intelligit principium? Haud dubiè eternitatis: quia non de mundi creatione verba facit, sed qualis in se semper fuerit Deus, explicat. Sermo itaque semper fuit Deus. Vnde sequitur non ei fuisse datum ut esset. Similiter quum pronuntiat Christus ipse, Antequā fieret Abraham, ego sum: sibi profectò essentiam absque principio vendicat. Si Valentini placito standum esset, perperam loquutus esset Christus: quia ut mēbra inter se quadrarent, sic loqui debuit, Antequam Abraham fieret, ego sum essentiatius. Longè autem aliud est, Perpetuum esse, quàm Essentiatio. Adde, quòd tempus verbi, æternum statum designat. Si dixisset præterito tempore, Fui, cauillari non destitisset Gentilis. Loquutio autem vsurpat, omnes tergiversandi ansas præcidit. Iam quid est essentiare, nisi creare? Actus enim essentiandi necessarid id secum trahit, ut qui antè non erat, incæperit esse. Vnde sequitur, Christum non alio iure Deum censeri, nisi quòd dono accepit quod non habebat. Nec verò disputatione opus est in re clara: quia iam ostendimus, nisi Filius sit Pater, eum diuina essentia spoliari à Valentino. Rudius loquar, ut apertius quod volo exprimam. Persona Patris est Valent. essentia. Atqui persona Patris non conuenit Filio, nec in eum transferri potest. Ergo nulla in eo est deitatis essentia, sed tantum creata Diuinitas, quæ ab hoc nebulone vocatur essentiatio: ac si per apotheosin Christus in hunc honoris gradum receptus foret. Et sanè, quum Deus generaliter essentiam inspiret omnibus creaturis, longè excellentius est deificari quàm essentari. Præclare verò & liberaliter agit Valentinus cum Christo, dum privilegio eum dignatur, ut suum Esse dono acceperit. Nec verò priuatam causam agimus, ac si nos seorsum aggressus esset, quando totam vetustatem nobiscum simul oppugnat. Anni iam elapsi sunt mille & trecenti, ex quo in Synodo Nicæna damnatus fuit Arius. Huius synodi auctoritatem verbo se amplecti simulans, Athanasium, qui præfuit, quibuscunque potest conuitiis spurcissimè flagellat. Sophisticam vocat eius fidem, quæ quartum quendam nouum deum inducat: falsitatis passim eum damnare non dubitat: Sabelio coniungit: exprobrat ei tripersonatum Deum: infamat tanquam præstigitorem: subinde eum stultitiæ & incogitantia infumulat: inuehitur in eius ineptias: denique onerat crimine atrocissimo sacrilegij, quòd soluat Christum. Tanta verò arrogantia & fastu crepat suos latratus, ut dicas è celo tonare. Scio equidem non esse ipsum authorem, sed vnum aliquem ex Epicureorum caterua repertum esse, qui ad maledicendum esset aliquantum disertus. Nisi fortè credibile est eum, qui nomen Christi scribere non potest, Græcas voculas aspergere ad fucandum sermonem. Sed quoniam multi hodie ex turbis ac dis-

*ſcdis, veræque doctrinæ labefactione delicias ſibi faciunt, nihil mirū ſi Lu-*  
*gduni garrulus quiſſiam ex antro virulentiæ ſuam euomuerit. Quinetiam ex-*  
*ortus eſt poeta, qui Valentini theologiæ ſuis carminibus ornaret. Inter alia*  
*nō dubitat præclarum illud axioma obtrudere, Numero Deus impare gaudet.*  
*Quid verò, ſi tibi viciffim obuiam nugator, Ter tria multiplica, quàm multos*  
*deos ſcaturire neceſſe erit? Nec me latet vos deorum myriadas audeſter fate-*  
*ri. Sed quoſnam putas tuo tinnitu ſic fascinatum iri, vt portētis tuis capiantur,*  
*niſi tui fortè ſimiles? Atque vt nulla illis religio eſt licentioſè mentiri, inſcri-*  
*bitur Valentini Confeſſio ad Præfectum Gaienſem, coram quo ſeruiliter abi-*  
*urauit quicquid tradiderat: nec aliter elapſus eſt, quàm aperta omnium quæ*  
*nunc tam ſuperbè obtrudit, abnegatione. Porrò ne quis ſcrupulus hæreat, perul-*  
*antiſſimi canis petulantiam paucis detegam. Arium & Sabellium plenis buc-*  
*cis damnans, ab Eccleſia pridem damnatos eſſe adiungit. Quid, phreneticæ?*  
*Quum Eccleſiæ nomē Athanaſio eiufque collegis tribuas, vnde mox, niſi ex*  
*ore impuriſſimo, tanta eos inſectandi erūpit audacia? Quum tibi inſtar oraculi*  
*ſit Nicæna confeſſio, cuius frontis eſt, eum à quo profecta eſt, tam contume-*  
*lioſè proſcindere? Certè vt es omnis liberalis doctrinæ ignarus, nunquam di-*  
*diciſti tam Nicæna ſi rem ſpectes, quàm Alexandrinæ ſynodo præſuiſſe A-*  
*thanaſium, atque eius decreto damnatos fuiſſe hæreticos, quorum erroribus ſo-*  
*ciū & ſuffragatorem te adiungis. Quid hac impudētia fœdius? Atque hæc vna*  
*ſurendi cauſa, quòd Athanaſius Filiū facit αὐτῶθεος. Vnde perſpicuum ſit hūc*  
*eſſe cauſæ ſtatum, quòd cōtendit Valētinus Chriſtū aliunde eſſe Deum, qui ab*  
*alio mutuatus ſit id quod eſt. Valdè enim logodædalū, qui eius perſonam ſum-*  
*piſit, delectant iſtæ voces, Vnum eſſe Deum Patrem, qui & ſit αὐτῶθεος, & ſo-*  
*lus αὐτοουσία in ſe habeat: quod ſi recipitur, cōcident quæcunque Scripturæ te-*  
*ſtimonia in hanc rem citātur ab Apoſtolis. Clamat Gētilis, ſolius eſſe hoc Pa-*  
*tris elogium, nec Chriſto cōmune, Ego ſum Deus, & præter me non eſt alius.*  
*Paulus autem, Si ſtemur omnes ad tribunal Chriſti: quia ſcriptū eſt, Vno ego,*  
*dicit Dominus, mihi fleſctetur omne genu. Videmus vt ad Chriſti perſonam*  
*accōmodet quicquid apud Ieſaiam gloriæ & imperij ſibi vèdicat Deus. Quid*  
*magis proprium eſt Deo, quàm viuere? aut quid aliud eſt αὐτοουσία? Hæc glo-*  
*riam Paulus Chriſto cum Patre cōmunem facit. Dicitur in Pſalmo, Cali peribū-*  
*tū autem idem eſt ſemper Deus. Hoc Chriſto Valētinus pugnaciter eripit.*  
*Apoſtolus autem de eo dictū eſſe interpretatur. Quid plures locos cōgerere atti-*  
*net, quorū paſſim copia occurrit? Sed verba Cōcilij Nicæni ſonant, Deū eſſe de*  
*Deo. Dura loquentio, fateor, ſed ad cuius tollēdam ambiguitatem nemo poteſt*  
eſſe

esse magis idoneus interpres, quàm Athanasius, qui eam dictavit. Et certè nõ aliud fuit Patrum cõsiliũ, nisi manere originẽ quam ducit à Patre Filius, personæ respectu, nec obstare quominus eadẽ sit utriusque essentia & deitas: atque ita, quoad essentiam, Sermonem esse Deum absque principio: in personæ autem Filij habere principiũ à Patre. Desinat ergo latrare Valentinus, Scripturam nõ nisi vni Patri essentialẽ deitatẽ tribuere. Nam quoties vel apud Moysen, vel apud Prophetas loquitur Deus, non cõparat se Filio, ac si hũc ornando, ipsum minueremus, sed idolis se opponit: quæ nisi in nihilum redigantur, nõ obtinet ipse in solidum quod suum est. Longius progrediar. Si Valentino creditur, epitheton Creatoris in solum Patrem cõpetit. Nam inter alia quæ Deus pronuntiat apud Iesaiam sibi propria esse, subinde repetitur, Ego sum cuius manus fundavit terram, & expãdit cælos. Solus ergo Pater, Filij & Spiritus essentiator, censetur opifex cæli & terræ. Interea Christum esse Deum, verbo non negat. Nunc attendamus ad verba Ieremiæ, Dij qui non fecerunt cælum & terram, pereant è mundo. An Filio Dei maledixit Propheta? Atqui dira imprecatio interitus ad eum pertinet, nisi Creator sit. Hoc vno verbo discutuntur omnes Valentini nebulae de vnus Patris essentia. Cur ergo Creator dicitur Pater, & hoc titulo seorsum ornatur? Nempe ratione ordinis, dum respicitur ad personas. Vnde etiam aperitè conuincitur erroris Valentinus, qui non putat saluam Patri fore suã deitatem, si Christus eiusdem essentiæ sit particeps. Nam certè vno consensu fatemur Christum improprie vocari Creatorem cæli & terræ, quoad personæ distinctionem. Neque enim dubium est quin Scriptura Patri nomen Creatoris vendicans, personas distinguat. Si verè Creator est Christus, neque id personæ respectu: sequitur necessariò referri hoc ad essentiam, qua eum Valentinus spoliat. Et audet obscœnus canis, Arii & Mahometis nos facere socios, quia Christum essentialiter Deum credimus. Deridet etiam argumentum quod non refellit: Vnus est Deus, Filius est Deus, & Spiritus sanctus Deus sicut Pater: ergo Pater, Filius, & Spiritus, sunt vnus Deus. Notandum erat vitium in syllogismo. Nullum deprehendit: vult tamen vitiosum esse. En quàm imperiosi sunt pædagogi in Italia! Sed contrarium syllogismum opponit: Vnus est Deus absque vlllo principio, & vniuersitatis author: Solus Pater originem nescit, & ab eo sunt omnia: Ergo solus Pater, vnus est ille Deus. Quasi futilitas assumptionis longa refutatione indigeat. Iudit in voce Originis: cuius dũ experit facit Patrem, libenter assentiar: quia & Deus est qui principiũ nescit, quoad essentiam, & origo est ac principiũ Filij, quoad ordinem personæ. Filiũ itaque cõcedimus originem habere à Patre,

quatenus Filius est: originem verò non temporis, neque essentia, quorum utrunque absurdissimum est, sed ordinis duntaxat. Sic omnia dicuntur esse à Patre, quatenus fert personalis relatio. Quis inde, nisi ter & quater resanus, colliget Patrem solum esse Deum? Praecipuum verò telum Valentini ad nos confodiendos, hoc est, Pugnare inter se, nec posse conciliari, eundem esse Dei Filium, & αὐτὸθεὸν: nempe, si idem esset persona quod essentia. Nam si dicas Deum in sua essentia esse Dei Filium, absurditas repugnantiæ manifesta erit. Si autem in essentia Dei primum locum Patri assignes, secundum Filio, rectè conuenient aequalitas Filij cum Patre, imò identitas essentia & generationis origo. Plenus buccis deronat Valentinus eminentiam Patris & auctoritatem, quia alterum sibi Deum adoptauerit. Quid ergo sibi vult illud Pauli, Non rapinam arbitatus esset, Deo aequalem esse? Respondeat Valentinus, de Patre primo Deo, an de secundo & essentiato hoc debeat intelligi? Certè nimis insipidum esset, Christum dicere iure suo fuisse facturum, si se præ se tulisset aequalem sibi. Nec sanè dubiū est quin referat Paulus ad Patrem, de quo etiam mox subiicit, Ideo exaltauit illum, &c. Porro ne fucum faciat hic nebulo imperitis, monendi sunt lectores, ubi Filius Dei vocatur Christus, non tam ad Filij personam, quæ fuit ante mundi creationē, quàm Mediatoris hoc spectare. Vbi autem nobis offertur Mediator Christus, quia mediū esse non potest, nisi Deo sit inferior, Patri integra datur deitatis gloria. Nec mirū: quia spontè ad nos descendit, ut sursum nos ad Deum attolleret. Iam sicuti eos repudiamus, qui nimis subtiliter rapiuntur ad speculādam Christi deitatem, ut in Mediatoris persona Deum simpliciter querant: ita merito abhorremus à Valentini delirio, dum Filij Dei nomen instar vmbrae obtendit ad occultandam eius deitatem. Christus Dei Filius est, quatenus Sermo est Dei ante secula à Patre genitus, tandem manifestatus in carne. In Sermonē aeterno tantum distinctio personalis notetur: ita relatiuè Dei Filius erit, & sine relatione simul Deus. Quatenus vero formam serui induit, Filius est Dei, ut Patri obediat, atque ita noua sit eius conditio, & à priore diuersa. Hoc etiam modo diluitur quicquid ex Tertulliano non minus stultè & insulsè quàm improbè Valentinus profert. Confessus sum in alijs scriptis pium illum virum saepe durius loqui. Sed quicquid de persona Mediatoris differit, ad Christi deitatem torquere, nulla ratio patitur. Eius testimonio abutitur Valentinus, ut probet Filium Dei propriam essentiam non habere. Atqui sententiam suam Tertullianus Christi dicto confirmat, Pater maior me est, quod nemo verecundus audebit de sola deitate accipere. Hoc unum quisquis prudēter obseruabit, mirabitur, & simul securè contemnet

remnet crassam Valentini hallucinationem. Quòd si Tertulliani auctoritate pugnandum est, præter multos insignes locos, quibus Serueti errorem refutauit, quid hoc sibi vult, Alium à Patre Filium profiteri, personæ non substantiæ nomine, quia ubique teneat vnã substantiam in tribus coherentibus? Si excipiat Valentini larua, vnã vocari substantiã, quia essentiatus sit Filius à Patre, nihil proficiet, quando disertè negat Tertullianus differre Filium à Patre substantia. Possètne apertius doctrinæ nostræ suffragari, quàm substantiam, id est essentiam à personis distinguendo? Eodè sensu paulò post subiicit, Rationè reddidimus, qua non duo dicantur dii, sed qua Pater & Filius duo: & hoc non ex separatione substantiæ, sed dispositione. Irascitur Valentinus simulac audit aliquam esse Filio essentiam, maximè verò vnã & eandem cum Patre. Tertullianus verò non alibi quàm in dispositione personæ discrimen statuit, eundem substantia Filium cum Patre nominans. Eodem libro relatio quam asserimus clarè tradita est, dum ita scribit Tertullianus; Sine Filio nominatur, quum principaliter determinatur, vt prima persona, quæ ante Filii nomen erat præponenda: quia Pater antè cognoscitur, & post Patrem Filius nominatur. Cæterum alius non est Filius à Patre. Ex Christi dicto, Ego & Pater vnum sumus, putat Valentinus posse elici non eundem esse cum Patre Deum. Quid autem Tertullianus? Ad substantiæ, inquit, vnitatem hoc pertinet, non ad numeri singularitatem. Videmus vt numerum ad personas restringens, essentiam, quæ vna est, seorsum relinquat. Quia nolo actum agere, cognoscent Lectores, si volent, ex refutatione Serueti quàm stolidè Irenæum in suas partes trahere conetur foetidus hic impostor. Eadem est Iustini ratio, quo nullus doctrinæ nostræ luculentior patronus nobis optandus est. Ac miror Serueti stultitiam ausum fuisse imitari, qui quum sancti Martyris nomine ferociter gloriaretur, prolato volumine ot mutuit. Nænas quæ sub Ignatii nomine feruntur, omitto: qua tamen in parte iterum vel nequitia, vel insania eiusdem Valentini conuincitur, dum magnificè iactat Ignatium loquutum esse cum Virgine Maria, & eius nomine epistolam venditat pudendis monachorum deliriis refertam. Plenior tamen danda est Filii definitio, quæ omnes nodos melius expediat. Fatetur Valentinus consubstantialem esse Patri secundum diuinitatem, nobis verò secundum humanitatem. Diceres hominem orthodoxæ fidei loqui: nisi quod rectè ex aliis sumpsit, mox ex furioso suo sensu corrumperet. Individuum, inquit, non compositum ex partibus vt homo, sed naturaliter regenitum. Ac paulò post, Non rectè dicitur, Christum constare ex λόγῳ & homine, sicut Alexander constat ex corpore & animo: quia



λόγος ita per incarnationis mysterium Immanuel est, ut non mutata Dei  
 substantia hominis formam sumpserit, utque ambarum naturarum attributa & pro-  
 prietates sint propriae & naturales unius eiusdemque subiecti. Unde non minus  
 Dei sanguinem & carnem, quam diuinitatem hominis Iesu absque ullo tro-  
 po, proprie dicimus & confitemur. Nisi enim sanguis & caro Christi verè &  
 proprie Dei sanguis & caro essent, neque hac verè exiatrix hostia diceretur,  
 neque ille purgaret nos à peccatis: quemadmodum etiam nec homo Iesus po-  
 testatem haberet remittendi peccata, nisi homo-deus esset. Certè nunquam nisi  
 ex vertiginoso spiritu prodirent sententiae adè inter se pugnantibus. Postquam  
 enim duas in Christo naturas agnouit, unitatis praetextu quod singulis proprium  
 est permiscet ac confundit: ut sine ulla figura Deus sit mortalis, & homo per  
 se sit vita. Non insistam Scripturae testimoniis ad oppugnandum hoc commen-  
 tum: quæram duntaxat qui eum non pudeat in Tertullianum contumeliose  
 insurgere, cuius verba sunt, Quum duæ naturæ censeantur in Christo, diuina  
 & humana: constet autem immortalem esse diuinam, mortalem quæ humana  
 sit: apparet quatenus eum mortuum dicat Paulus, id est, quæ carnem & ho-  
 minem & Filium hominis, non quæ Spiritum, & Sermonem, & Dei Filium.  
 Discant tandem lectores quàm dexter sit interpres Tertulliani, & quàm bo-  
 nus ac fidelis discipulus. Nos verò in Christo Mediatore non impedit personæ  
 unitas, quin sua utrique naturæ distincta proprietates salua maneat, ut Christus  
 sit Deus & homo: vel, sicuti Paulus loquitur, Deus manifestatus in car-  
 ne verè & naturaliter Dei Filius, sed qui ex duabus naturis constet, quia  
 in homine habitauit plenitudo Diuinitatis. Et Christus ipse clarè pronuntiat,  
 corpus suum esse templum, quod certè minimè quadraret, nisi esset Deus ipse.  
 Etsi autem Deitatis respectu unum est cum Patre, sicut iam sepe diximus,  
 quæ tamen Mediator est, quoad dispensationem, quodammodo subsidit  
 infra Deum, qua ratione Patri subiicietur ultimo die, regnumque quod acce-  
 pit, restituet, ut sit Deus omnia in omnibus. Quisnam Deus? Si ad Patrem  
 restringas, certè Filii deitas erit temporalis, quo nihil absurdius. Quare alias  
 machinas excogitet Valentinus oportet, quibus conuellat orthodoxam  
 fidem: quando ingenuè prædicamus unicum esse Deum, à quo missus est Chri-  
 stus, & unicum esse Dei Filium, qui sponte se exinanivit, ut nos in societa-  
 tem suæ gloriæ ascisceret. Friuola autem calumnia est, nos Christum discerpe-  
 re, imò in alium Christum qui non est, transformare, dum nunc ut Deum, nunc ut  
 Dei Filium, nunc ut natum ex Virgine consideramus. Quanquã suo se gladio  
 iugulat hic phreneticus, qui hominem factum ex muliere, missum in plenitudi-

ne temporum, seorsum considerari non sustinet ab aeterno illo Sermone, qui ante secula genitus fuit. Diuinam verò essentiam quàm rectè considerari nolit, iam ex pluribus testimoniis palàm fecimus, & ex Malachia dicere promptum est, Donec veniat, inquit, Dominator ad templum suum. Certè non alius insignibus magis gloriam suam illustravit Deus, quàm legali cultu, sacrificiis, & templi imperio. Vbi ergo palàm asserit Propheta, Christum, qui venturus est, illum esse Deum qui semper in templo adoratus fuerit, omnem controuersiam diremptam esse existimo. Eat nunc Valentinus, & neget colendum esse Christum, quia Patrem nobis colendum proposuit.

## PROTHESES VALENTINI GENTILIS,

QVAE MERA SOPHISMATA CONTINENT, NE VIDERER cum umbra certare, an attingerem dubitauit. Quia tamen argutus sibi visus est earum author, siue Gribaldus, siue alius quispiam similis: malui aliquantulum temporis perdere, quàm non monere simplices quomodo sibi ab insidiis caueant.

### PRIMA.

*Infinitem, siue interminatū est quicquid nec originem omnino habet, nec finem. Duo autem infinita neque dantur, neque esse possunt.*

Vt hoc totum concedam, quid inde consequitur qui solum Patrem vult habere infinitum? Quasi verò Filium doceamus aliud esse à Patre.

### II.

*Deus est nomen increatae substantiae & Deitatis plenitudinis.*

Perge verò, & ostende quorsum tendas. Nos verò inde colligimus Sermonem esse verum Deum: quia & increatus est, & postquàm in carne manifestatus est, in eo residet plenitudo Diuinitatis.

### III.

*Vt in aeternitate personarum datur principium ordinis, non temporis: sic in earum deitate datur gradus, non distinctio. Est autem persona, substantia intelligens, indiuida, incommunicabilis.*

Quanam ratiocinandi forma, vt si principium ordinis sit in personis, idè in deitate sit gradus? Hic vnus error. Simul obseruent lectores, istum, quum de aeternitate personarum loquitur, Filiū seorsum ab humana natura considerare: quod nuper fieri nefas esse clamabat. Secundus error, cui tertius mox accedit, Gradum in Pa-

tris & Filii deitate esse, non distinctionem. Quid? An gradus diuersi erunt, & nihil differentia? Certè prodigium est dicere non distinguere quod inferius est à superiori. In definitione Personæ suam inscitiam turpiter prodit. Nam quum secundum ipsum essentiatione communis sit Filio & Spiritui, sit autem essentiatione persona, ergo Filii & Spiritus personæ erunt communicabiles.

## I III.

*Vnus, in natura diuina non ad singularitatem substantiæ, sed tantum ad originem siue αὐτουσίαν refertur.*

Inani garritu se in crassam repugnantiam implicat. Quid enim aliud est αὐτουσία, quàm essentiæ singularitas, vbicūque reperitur?

## V.

*Vnus Deus naturalem generationem & propagationem admittit: vnicus autem omnino sterilis est, ac solitarius.*

Atqui, vnicum Deum non fingunt, qui in eius essentia fatentur Patrem, & Filium, & Spiritum. Tibi autem naturalis generatio noui & secundi Dei, sicut & propagatio tertii, deificatio est.

## V I.

*Pater non est hypostasis, siue persona, in vno Deo: sed teste Apostolo, est vnus ille Deus, à quo omnia.*

Si Pater non est hypostasis, quomodo Filius character erit hypostaseos eius? nam distinctam ab ipso esse oportet hypostasin cuius est character. Ac inscitè huc torquetur Apostoli dictum, Vnum esse Deum à quo omnia. quia elogium hoc nihil aliud est quàm personæ eius proprietas. Nec verò nos negamus, dū confertur Filius cum Patre, suum cuique titulum attribui. Adde quòd Christus illic non pro æterna sua deitate commendatur, sed tantum locatur in gradu dominii, quod à Patre acceptum, vltimo die reddet.

## V II.

*Solus Pater est vnus Deus, id est, sine vllò principio aut origine inuentus.*

Quia ludis in vocibus Originis & Principii, falso & perperam infers vnum esse Patrem Deum, quia origine careat. Christi enim origo non nisi personæ aptatur.

## V III.

*Solus Pater est αὐτῶς, id est, à nullo superiore numine essentiat, sed à seipso Deus.*

Vbi

Vbi probaueris essentiatum esse Filium, de solo Patre extorquebis quicquid voles. Interea si numen Patris superius est, mentitus est Apostolus, Filium ei æqualem asserens.

## IX.

*Qui unum Deum in tres proprietates seu personas distinguit, vel sibi præstigias facit, vel necessario vnus Dei substantiam diuidit atque discernit.*

Cuius, obsecro, pudoris est, obscurum pædagogum verbulo vno iudicium ferre de cunctis Ecclesiæ scriptoribus? Probet ergo, vel neminem sanum mouebit eius temeritas.

## X.

*Deus habuit vim generandi ac propagandi, quia voluit: ideoque & λόγον ante secula genuit, & Spiritum propagauit.*

Hac sententia minimè labefactatur nostra fides, quando ingenuè tradimus καθ' ὁμοιοτητα Dei nomen Patri propriè ascribi.

## XI.

*Æterna λόγου substantia, principium & originem habet à Deo, quatenus genita ac distincta sit, nõ quatenus sit. Non enim est ex nihilo creata, aut de aliqua non extante materia facta, sed de immensa substantia illius summi Dei genita.*

Si diceres Filii originem esse à Patre, quatenus est genitus, nihil esset controuersia. Essentiam verò genitam probes, si quem velis tuo commento acquiescere. Interea notemus Christi essentiam, quatenus est, carere origine. Quòd si in Filio est æterna Patris essentia, euinco personam esse communicabilè. Quod addit de immensa substantia Dei summi esse genitã, non aliter stabit, quàm si concedat aut immensitatem essentiaë residere in Christo, aut aliquam eius portionem. Si communis est Filio essentiaë immensitas, sequetur esse interminatum. Quid ergo fiet primæ prothesi? Atqui substantiam Dei facere partibilem, detestabile sacrilegium est.

## XII.

*Qui Filium αὐτῶθεν esse contendit, is vel duo asserat principia, vel turrim Babel ædificet necesse est.*

Tibi verò non ad eò facilè erit solo virulentæ tuæ linguæ flatu, totum sanctorum chorum euertere. Sed vide ne putida tua arrogantia turris sit Babel.

## XIII.

*Vnus Deus qui est Spiritus ἀγέννητος καὶ ἀδιόθεος absque ulla sui diminutione ante secula λόγος Spiritum ineffabiliter genuit: non autem sophisticam cogitationem, proprietatem, aut inanem relationem.*

Modò facessant calumniæ, nihil in priore membro dicis, nisi ex nostris & Patrum libris sumptum. Quo intolerabilior est tua improbitas, dum nostram doctrinam continuò post deformas tuis figmentis.

## XIII.

*Quicumque illum unum Deum sine origine ex propria substantia nihil imminuta Filium genuisse negant, tanquam manifestè Iudæizantes ac Mahometizantes, à Christianis mysteriis arcendi sunt.*

Videtur sibi valdè callidus, qui pulchri coloris obtentu, falsa inuidia nos grauat. Nos verò ingenuè idem prædicamus, modò ne perperam restringens ad Patrem vnus Dei nomen, Filium à Deitate arceas & excludas.

## XV.

*Dominus noster Iesus Christus est verus, proprius & naturalis Filius vnus Altissimi ac viuentis Dei, nec alium habet Patrē, quàm solum Deum, à quo omnia.*

Exposui quo sensu Scriptura, dum Patrem Christo comparat, eum prædicet vnicum Deum: nempe quia legatione pro ipso Christus fungitur, eiusque virtute & mandato mundum gubernat: sed hæc in persona & itatu Mediatoris submissio nihil detrahit ex immensa deitatis eius gloria. Ita dicitur Pater Filio dedisse vt habeat vitam in seipso, in quo tamen vita erat ab vltima æternitate. Denique Scripturæ tritum est, in Patre, tanquam in speculo, nobis proponere summam deitatis gloriam: non vt quicumque Filio auferat, sed quia Christus ipse inferior factus est Patre, vt ad Patrē nos ducendo, ad seipsum quoque nos duceret. Vnde Augustinus non minus scitè quàm verè eum nominat Viam qua itur, & Scopum vel Metam quò tenditur.

## XVI.

*Christus non ideò Dei Filius est, quia Deus: sed contrà, ideò est Deus, quia Dei Filius.*

Non sufficeret Christum esse Deum, nisi & genitus esset à Pa-

tre.

tre. Filius tamen esse non potuit, nisi Deus esset.

## XVII.

*Aut λόγος ille est Spiritus ab vno Deo in immensa aeternitatis latitudine immediatè genitus, aut substantiua res non est.*

Si intelligas Spiritū essentialiatum, probatio exigitur: nec antè fidem tuis ambagibus facies, donec ex hac latebra egressus fueris.

## XVIII.

*Nisi esset substantialis inter Deum λόγον, & inuisibilem Patrem distinctio, nō poterat λόγος in Virginis utero cōcipi, quin simul Pater incarnaretur.*

Tu verò imperitia laberis, qui hypostasim non intelligis vel substantiam vel subsistentiam esse: atque ita Christum, quatenus Deus est, induisse carnem, & tamen non nisi in sua hypostasi.

## XIX.

*Non est substantialis distinctio, quæ λόγου hypostasim à Dei hypostasi non distinguit.*

Ego verò libenter assentior. Sed non animaduertis longè aliud esse hypostasim quàm ἰστίαν, ideòque hypostaticè Christum à Patre distingui, qui vnus est cum ipso essentialitè.

## XX.

*Genitus à genitore substantiali numero differt, non potestate, sententia, aut diuersitate naturæ.*

Hic se prodit diabolica impietas, quòd Filiū essentialiter alium à Patre fuisse blaterat. Quid enim aliud est, numero essentiali differre, (quod per substantiam intelligit) quàm essentialia duos esse Patrem & Filium?

## XXI.

*Vnus Deus, & λόγος eius, duæ sunt eiusdem naturæ substantiæ intelligentes: id est, duo aeterni spiritus consubstantiales, cōgruo ordine, gradu, & proprietate distincti.*

Si quis ad tam tetras blasphemias nō horreat, plusquā stupidus est. Fatetur Filium aeternum & consubstantialē Patri: nempe quod Seruetus de hominis anima ac ipso diabolo scripsit. Quis enim est ei congruus ordo, nisi Filium essentialitū esse, vt precariò sit Deus? Præclara scilicet eius aeternitas!

## XXII.

*Plures Spiritus immensa substantia esse non possunt.*

Nos verò spiritualem naturam agnoscimus in ipsa Dei essentia: tu contrà, dum imaginariis Christum numero alium esse Spiritum à Patre, immensa substantia eum palàm spoliās.

## XXIII.

*Omnis Spiritus qui sub ascititiam, seu naturalem formam visibilem cadit, circumscribibilis sit substantiæ necesse est.*

Si de Christo loqueris, vt eum facias circumscribibilē, quatenus carne indutus est, totus mundus, me tacente, furorem tuum detestetur. Nec verò coniecturis opus est: quia magis ac magis se præcipitat, vt sequitur.

## XXIII.

*Solus Pater est Spiritus, ἀγέννητος, vniuersitatis auctor, immensaque substantia: Filius verò spiritus est ex Deo ineffabiliter generatus, paternæ voluntatis exequutor, ac pro generationis modulo circumscribibilis generatus. Ambo tamen sunt vnius eiusdemque infinitæ virtutis ac perfectionis.*

Pronuntiat Iohannes Christum esse verum Deum, & vitam æternam. Hic nebulo essentiam tantum concedit pro modulo generationis circumscribibilē. Vbi ergo plenitudo deitatis? Vbi essentia immensitas, quæ clarè elicitur ex Christi verbis, quibus testatur se in sinu Patris & in cælo fuisse, quo tempore in terris versatus est? Agedum phreneticæ, si ineffabilis est generatio, quod toties tibi effluxit, quomodo mensura eam includere non contentus, ignominiosè ad modulum restringis?

## XXV.

*Qui λόγον illum, per quem facta sunt omnia, fuisse in Virginis utero hypostaticè inclusum, & per incarnationis mysterium verum hominem factum negat, is mendaces facit Domini testes veraces, quos propriis oculis eum vidisse, ac manibus contrectasse Sacrae literæ apertè testantur.*

Si qua tibi gutta esset sanæ mentis, nobiscum facilè conueniret: sed quia hypostasim peruersè confundis cum essentia, & Christi Deitatem localiter restringis in angustias materni uteri, atrocem iniuriam Christi Apostolis inuris, eos in erroris tui societatem trahendo.

## XXVI.

*Quicumque à Virginis partu æternum λόγον à visibili Christo seorsum considerant, duos sibi Filios necessariò constitunt, inuisibilem alterum*  
*& im-*

*Impatibilem. Quam sententiam diuus Irenæus merito homicidialè appellat.*

Tantum ad portenta attendant Lectores: Deum propriè fuisse passibilem & mortuum, tristitia, dolori, timori, ignorantia quoque obnoxium. Mortuus est Christus: Deum vult mortuum esse hic nebulo. Lachrymatus est, doluit, timuit, denique nesciuit diem resurrectionis: mauult Valentinus ignoratiam Deum subiicere, quàm distinguere inter duas naturas. Quid verò impudentius, quàm talibus blasphemis obtendere Irenæi nomen? Omitto quòd prodigiosam vocem Homicidialis sententiæ ex suo cerebro genuit. Disputat Irenæus cōtra Demiurgi fictores, quibus Spiritus sanctus erat Christus. Quum ergo plures fabricarent, ac garrirent etiam Christum in specie columbæ descendisse super Christum: eos quidem Spiritum interimere, alium autem Christum, & alium Iesum docere dicit. Totus autem mundus satis superque nouit quàm remoti simus non tantum à tali vesania, sed etiam à Nestorii cōmento, qui Christum duplicem induxit.

## XXVII.

*Qui contendit Spiritum sanctum, siue tertiam Trinitatis personam, tam respectuè quàm ad se, non esse verè spirituales substantiam, sed nescio quam fictitiam proprietatem, is manifestè negat Spiritum esse Spiritum, hoc est veritatem esse veritatem.*

Non dubiū est quin sibi in puerilibus istis ineptiis valdè placuerit Gribaldus, cuius Valentinus est histrio. Sed quàm ridiculè ineptiat, nullo negotio ostendam. Primò fallitur, quòd eodem vbique sensu accipit nomen Spiritus. Nam quum Deus sit Spiritus, frustra distingueretur à Patre Spiritus, atque eius Spiritus vocaretur, nisi diuerso modo & respectu. Videmus ergo vt nebulo rudimentorum expers, omnia conturbet. Iam si proprietate Spiritus personam ab aliis duabus distinguimus, an fictitium quid erit, quia non capitur à Valentino? Nos verò Spiritum in tertia persona asserimus esse Deū, quia spiritualis est essentia, & ei nihilominus suam proprietatem seruamus.

## XXVIII.

*Pater & Filius non sunt, vt aiunt, ad aliquid nuda nomina relatiua sine veritate, quæ ad se insolidū ac sigillatim sint summa illa res, siue immensa substantia: sed simpliciter citra illam sophisticam exceptionem nomina sunt rerum*  
f.iii.



*substantialium, quæ quarrent illam rem. Scripturis sacris prorsus incognitam neque admittunt, neque agnoscunt.*

Quod impugnat, ab vltima vsque vetustate docuerunt orthodoxi omnes Scriptores. Exurgit Valentinus, & suum decretum pronuntiat. Nulla ratio, nullum testimonium: imò quod temerè reiicit, à sensu communi dictatur. Filium negat esse nomen ad aliquid: negat relatiuè sumi. Pater ergo in se & ad se Pater erit. Filius itè ad se. Vnde sequetur Patrem esse absque Filio, & Filium absque Patre.

## X X I X.

*Nisi Pater, Filius, & Spiritus tres essent intelligentes substantiæ eiusdem naturæ, falsò consubstantiales dicerentur.*

Tu verò fallaciter insidias struis in voce ambigua. Scitur quo sensu veteres dixerint Filium Patri consubstantialem, nempe vt essentiæ vnitatem exprimerent. Hic impostor ad essentias numero distinctas crassa astutia trahit.

## X X X.

*Quicquid substantialiter alicunde est, non est id ipsum viuens in indiuiduo ex quo est, sed qualis ille est. Vnde λόγος Dei non est vnus ille αὐτόθεος cuius est λόγος: neque Spiritus Dei est Spiritus ille immensus ac sempiternus, cuius est Spiritus: licet vterque hypostaticè in eo contineatur, sitque cum illo vnus eiusdemque diuinitatis, plenitudinis ac perfectionis.*

Voluit mundum aliquem creare ex duobus elementis, igni & aqua, hoc est rebus pugnantissimis. Verùm vt de repugnantia taceamus, quo iure λόγον infert non esse Deum, ac si cõcessum esset aliunde esse Christi essentiam? Ergo quò lógicus texet suo errores, eò maiore labyrintho se implicabit. Immensum verò Spiritum negare, non minus cæci furoris est. Sed quoniam hæc monstra detexisse, vicisse est, satis fuerit monuisse lectores, vt hæc secum placidè expendant.

## X X X I.

*Λόγος ac Spiritus substantialis, generatio & processio Patris eminentiam tuentur, Turcas, Iudeos, hæreticos, sophistasque prosternunt, atque omnes errores ab Ecclesia propellunt.*

Plautibilis color, quia Filium Dei abnegando, nodum Gordianum abrumpere sibi videtur Valentinus, suum errorem venditare, qui omnibus aliis deterior est. Sicut phreneticus olim quidam nullum melius compendium esse dictitabat ad tollenda Sanctorum patrocina,

nia,

nia, superstitiosas pro mortuis preces, purgatorii figmentum, & similia, quàm si mortem, interitum esse animarum crederemus. At qui orthodoxa fides, quam tuemur, hætenus non solum contra Iudæos & Turcas, sed omnes inferiorum munitiones prævaluit: atque ita mendacio Valentini non indiget, quin potius tales quisquillas dissipabit.

## XXXII.

*Qui Patrem à Filio, & Spiritum sanctum ab utroque hypostaticè, hoc est, substantialiter, distingui negant, in falsa & absurda dogmata incidunt, omniæque divina mysteria necessario confundunt.*

Tolle istud tuum Substantialiter, quod perperam cum essentia confundis, vera erit propositio: quæ nunc falsissima est, quia hypostasin bruta inscitia tantundem valere putas atque *ὑπόστασιν*.

## XXXIII.

*Confusio trium in unum & eundem numero Spiritum, fundamentum & origo omnium errorum & impietatum fuit.*

Nempe, Valentino auctore, nisi Deus in tres essentias diuiditur, concidit ac perit tota religio. Quid enim sunt tres Spiritus, nisi tripartita essentia?

## XXXIII.

*Λόγος & Spiritus sanctus ita ab vno Deo Patre substantialiter distincti sunt, ut ab eius substantia separari non possint.*

Pulchra verò connexio, si Filii substantia cum paterna cohæreat, quia inde abstracta, & ex traduce manauit: sicuti quibusdam visum est animas hominum alias ex aliis originem ducere.

## XXXV.

*Vna Dei essentia non est Deus ipse, sed ipsius Dei natura, siue Deitatis plenitudo.*

Ergo malè Deus apud Mosen à suo Esse cognosci voluit. Nã certè illic Essentia ponitur tanquam Dei definitio. Verùm ut obtineat hic phreneticus quod fuit: vel non erit in Christo Dei natura, nec deitatis plenitudo, vel erit essentia Dei, quæ secundum ipsum est Patris persona. Hoc modo Patris personam in Filium transfundit.

## XXXVI.

*Vnus ille Iehoua non essentia dici debet, sed vnus essentiator.*

Si tenuiter gustasles Hebraicæ linguæ elemēta, scires vtrunque

exprimi verbis Moſis: nempe Deum eſſe id quod verè eſt, & quod aliis eſſe dat. Cæterùm ſi Iehoua eſt eſſentiator, vt tu fateris, Chriſtus, quem Apoſtoli plus decies Iehouam eſſe affirmant, non fuit eſſentiatuſ, vt tu latras.

## XXXVII.

*Niſi Pater eſſet Filij ac Spirituſ eſſentiator, id eſt, ſuorum attributorum per æternam generationem & proceſſionem naturaliter communicator: neque tres vnũ eſſent, nequa vlla reliquarum perſonarum eſſet plenuſ & perfectuſ Deus.*

Quid phrenetice? ſi Chriſtus verè & propriè ſit Deus, vt fert noſtra fides, an perfectuſ nõ erit? Perfectio autem erit maior, ſi tibi detur fuiſſe eſſentiatuſ, & aliunde habere vt ſit Deus, & deitatem eius ex transfuſione principium habere? Quid quod antè blaterati, Pro modulo generationis, finituſ eſſe non immenſuſ?

## XXXVIII.

*Chriſtuſ eſt plenuſ & perfectuſ Deus: quia integram Patris eſſentiam, hoc eſt, deitatis plenitudinem ſuo modulo meritur & capit.*

Eadem ratione quilibet ex Angelis perfectuſ erit Deus: quando omnes pro ſuo modulo capiunt Deitatis plenitudinem. En qualis ſit Chriſti deificator hic ſcleratuſ & quater periuruſ apoſtata.

## XXXIX.

*Calumnioſè quidam Chriſtuſ eſſe ſecunduſ, ſive paruuluſ aliuſ à Patre Deum ex noſtris aſſertionibus imperito vulgo perſuadere conãtur, quum noſ Filium eandem deitatis plenitudinem cum Patre & à Patre habere conſtanter teſtamur, firmiter credimus, & diſertè conſitemur.*

Quod odioſuſ, adeòque proriſus intolerabile eſſe videt, cuperet diluere: ſed nuper magis fuit diſertuſ, quàm vt leui fuco impietatem ſuam obtegat. Nobis verò quicquam perſuadere neceſſè non eſt: quia eius aſſertiones ſponte impietatem ſuam produunt.

## XL.

*Vnuſ Iehoua Pater λόγου, & vnũ ille Deus Iſrael, ſynonyma ſunt prima perſona Trinitatiſ.*

Quum deitatis definitio, cuiuſ author eſt ipſe Deus, αὐτουſίας in ſe contineat, Chriſtuſ certè deſinet eſſe Deus. Adde quòd ſi Iehoua vnũ eſt Deus, Apoſtoliſ, qui hoc nomine Chriſtuſ ornarunt, potiùſ credenduſ eſt, quàm cani, qui eorum authoritatem ſuo

vomitu

vomitū conspurcat. Demonstravi enim Christi personæ aptare quod dicitur apud Iesaiam, Vivo ego, dicit Iehoua: Iohannem similiter eiusdem Prophetæ vaticinium, Vidi Iehouam sedentem in folio: alium Apostolum ex Psalmo citare, non de Patre solo, sed de Filio pronuntiatum, Tu Iehoua idem semper es. Iam si Pater fuit solus Deus Israel, quomodo Filius in templum suum dicitur venturus? Tēplum enim nō nisi vni Deo fuisse dicatū probè intellexit Malachias: quod tamen sub Christi ditione esse asserit. Denique, si non fuit Christus Deus Israel, non adorauit Abraham eum in diuina essentia, quem Angeli exhibitum adorant: sicuti rursūm Apostolus prodiisse in orbem terrarum Christum docet cum hoc iure imperii, Adorent eum omnes Angeli. Quid porrò absurdius, quàm Deū, qui præerat veteri populo, eratque dux eius & custos, non fuisse adoratum à sanctis Patribus: adorari verò cœptum ab Angelis, ex quo factus est homo? Posthac quidem nullus erit color, cur se calumniis grauari queratur: quia ex meris eius verbis iudicium de eius impietate ferri postulo. Conuitia quibus Deum impetit, refellere supersedeo pluribus, quia sine horrore attingi nequeunt, atque, vt taceā, recident in eius caput. Contremiscet aliquando ad tribunal eius Dei, cuius gloriā omni probro conspuere pro diabolica sua superbia, cæcòque furore non metuit: imò sentiet quàm terribili modò fulminet contra securos nominis sui contemptores.

## AD QVÆSTIONES GEORGII

BLANDRATAE, RESPONSVM D.

Ioannis Caluini.



V V M dicimus nos credere in vnū Deum, sub Dei nomine intelligimus vnicam & simplicem essentiam, in qua comprehendimus tres personas vel hypostases.

Ergo quoties Dei nomen indefinitè ponitur, non minùs Filium & Spiritū sanctum quàm Patrem designari credimus. Vbi autem adiungitur Filius Patri, tunc in medium venit relatio, atque ita distinguiamus inter personas.

Quia verò proprietates in personis ordinem suum ferūt, vt in Patre sit principium & origo, quoties fit mentio Patris & Filij simul, vel Spiritus, nomen Dei peculiariter Patri tribuitur.

Hoc modo retinetur vnitatis essentia, & habetur ratio ordinis: quæ tamen ex Filij & Spiritus vnitatis nihil minuit.

Quòd vnica sit Patris & Filij & Spiritus essentia, ex claris Scripturæ testimonij constat. Certè vnus est Iehoua: quod nomen Filio commune est cum Patre.

Si quis excipiat, trāsferri elogium hoc ad Christum, quia ex Patre ortus sit, facile refellitur tam friuolum cauillum, quia vnus est Iehoua.

Iam quum Apostoli Filium Dei asserāt illū esse, quem Moses & Propheeta testati sunt esse Iehouam, semper ad vnitatem essentia venire necesse est.

Proinde nobis sacrilegium detestabile est, Filium alium Deum vocari à Patre, quia simplex nomen Dei relationem non admittit: nec potest Deus ad se ipsum dici, hoc, vel illud esse.

Nomen verò personæ dum Christo ascribitur, bifariam dici potest. Nam & Sermo ex Patre genitus ante mundi creationem, persona est in æterna essentia Dei. Et quemadmodum vnus est Christus Deus in carne manifestatus: ita duæ naturæ sic vnita personam vnā constituunt. Ideoque aliud est loqui de æterna Dei Sapientia antequam indueret carnem, vel de Mediatore ex quo in carne patefactus est.

In hanc Mediatoris personam propriè competit nomen Domini, quatenus medium gradum statuit inter Deum & nos. Quòd pertinet illud Pauli, Vnus Deus ex quo omnia, & vnus Dominus per quē omnia. Eodem sensu illud accipitur, Pater maior me est: & quæ alia de Mediatore dicuntur apud Iohānem.

Ceterum

Ceterum ubi simpliciter Christus vocatur Deus, & non opponitur nomen Patris, solida Dei essentia comprehenditur. Sicuti quum dicitur Ioh. 1. Sermo ille erat Deus: tenenda est essentia unitas. Similiter ubi Paulus dicit, Deum esse benedictum in secula: non alium Deum fas est imaginari, quam illum qui per Moysen asseruit, se unicum & solum esse: & qui per Iesaiam iuravit, se non daturum alteri suam gloriam. Ideo Iohannes non contentus Dei nomine, expressus loquitur in fine canonice Epistolae. Hic est verus Deus & vita aeterna.

Quod nomen Iehoua indefinite sumptum, in Christum competat, patet etiam ex Pauli verbis, Propterea ter rogavi Dominum: quia subiicit paulo post. Ut inhabitet in me virtus Christi.

Quod autem Christus, ubi de Patre loquitur, Dei nomine ipsum insignit, non mirum est: quia expendere conuenit quam personam sustineat. Quatenus enim Mediator est, officij sui respectu se inferiore gradu locat, ut nos paulatim ad Patrem ducat.

Hoc autem respectu Filius ipse subiicitur Patri in futuro seculo, quia ipsa Diuinitatis perfectio tunc nobis erit conspicua, quae nunc in imagine pro nostro modulo nobis relucet.

Et tamen Christus, licet raro, Dei mentionem indefinitam facit, velut quum dicit Ioh. 4. Deus Spiritus est: quod eius personae non minus quam Patris conuenit. Nec obstat quod mox exprimit nomen Patris: quia ubi doctrinam generalem tradidit, eandem pro Mediatoris officio confirmat.

Hoc modo Christus non alium Deum manifestauit quam Patrem: quia ipsum ad nos descendere necesse fuit, ut fidem nostram ad gloriam Deitatis attolleret. Interea notandum est eius dictum, Creditis in Deum? etiam in me credite. Quo significat illum se esse Deum, in quo acquiescere debet fides.

Quum vero Legis summam colligit, nomen Dei indefinite ponens, sibi nihil derogat: sed contentus est recepta loquendi forma. Sicuti eius interrogatio illa, Quid me vocas bonum? Unus Deus bonus est: non eò tendit, ut Deitatis gloriam à seipso reiciat: quin potius se alio modo esse bonum subindicat, quam intellexerat adolescens, humanae bonitatis elogio eum honorans.

Similiter Iudaeis exprobrans, quod Deum iactarent esse suum Deum: quia tamen eius Filium respuebant, vanitate eorum refellit, quod Mediatorem propinquum non agnoscant, quum fallaci Dei nominis obtentu magnifice transuolent supra nubes.

Paulus 10. prioris ad Cor. tametsi ex professo Deum unum Idolis opponit, non tamen abs re Patrem nominat, ex quo omnia: quia relatiue continuo post

Mediatorem adiungit. Sed alibi unum Deum esse docens, sicut unum Baptisma, certe Iehouam esse intelligit. Et quauis paulo post disertè Patrem nominat, id facit, quia ad Christum descendere volebat: ideoque adhibenda fuit talis distinctio. Nam unitatem Dei & Baptismi coniungens, certe Christum non excludit, in cuius nomine baptisamur. Cõueniunt igitur optimè inter se appellatio Dei simplex ac definita, & distinctio Dei Patris à Christo Mediatore.

Quòd initio Epistolarum Patrem Deum priore loco statuens, deinde Christum adiungit, ex eadem ratione manat: quia deitatem statuit in Patris nomine, deinde Mediatorem interponit, qui nos ad Deum erigat. Sed in eadem epistola ubi ita loquutus erat, non tamen dubitat Christum vocare Deum in secula benedictum.

Hinc sequitur querendū esse Deum, in cuius essentia cõprehenduntur tres personæ: & tamen ubi in medium prodit Christus, Deum verè & propriè vocari Patrem Iesu Christi, quia tunc Mediatoris gradum obtinet Christus, ut nos ad Deum attollat, & ita ad seipsum.

Quòd ad locum illum attinet, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, cõfirmat & apertius declarat quòd iã dixi, ubi Christus loquitur in Mediatoris persona, quodammodo descendere infra Deum, ut nobis sit propior. Sed hoc non obstat, quo minus ipse quoque verus sit Deus noster. Nam quod dicit Thomas, non aliunde quàm ex eius ore didicerat, Dominus meus & Deus meus.

De nomine Personæ ita breuiter respondeo, necessitate esse inuectū ad detegendas eorum fraudes, qui hoc fidei principiū astute subuertere moliebantur. Interea obicere sententias, ubi se Christus à Patre distinguens, hac voce abstinet, putidū est cauillum. Neque enim hac loquēdi forma in cõmuni sermone utimur, Persona Patris salutem nobis contulit per Filij personam: sed ubi distinctionem exprimere volumus, quæ est inter Patrem & Filium.

Quòd ad Christi dictum spectat, Hæc est vita æterna, ut credant in te verum Deum, &c. Si eius prætextu restringi debeat vera diuinitas ad unum Patrem, mentitus esset Iohānes dicendo, Hic est verus Deus & vita æterna.

Vnicam verò essentiam in tribus personis non fuisse à Christo patefactam, falsissimum est. Nam quum voluit nos baptisari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, hæc certè personas distinctè posuit, quas extra Dei essentiam querere nefas est.

Iam ubi Iohannes dicit, Sermonem ab initio fuisse Deum, certè non lacerat Dei essentiam: sed clarè docet unum & eundem fuisse Deum cum Patre.

Patre. Vbi verò statim subiicit, fuisse apud Deum, vel cæcis ipsis mōstratur distinctio. Item quum Christus ipse postulat manifestari gloriam, quam initio habuit apud Patrem ante creationem mundi: certè personam sibi tribuit peculiarem, & interea eandem sibi essentiã cum Patre vendicat: quia Dei gloria & maiestas separari ab essentiã non potuit.

Similiter quum Petrus dicit Anania, Cur mentitus es Spiritui sancto? non hominibus mentitus es, sed Deo: non minùs Christus ipse & Spiritus, quàm Pater cōprehenditur. Sicuti quum idem Petrus & Iohannes respondent, Deo magis quàm hominibus obediendum esse, Christum certè non excludunt: sed quia nomen Dei ponunt indefinitè, non minùs Deum in carne manifestatum quàm Patrem designant.

Quòd si cui nimis moroso displiceat nomen Personæ, certè Apostolus 1. ad Heb. per hypostasin nihil aliud intelligit, quàm quod nos personam vocamus. Atque ita est relatio, de qua litigant cōtentiosi homines, ac si esset humanum commentum.

Quòd ad precandi formam spectat, illa est ordinaria quæ nobis in Euāgelio præscribitur, dum ad Patrem verba dirigimus in Christi nomine.

Cæterum ubi nulla sit Christi mentio, nõ minùs sub Dei nomine ad Filium quàm ad Patrem dirigitur precatio, sicuti dilucide patet ex loco illo Pauli, Propterea ter rogavi Dominũ: & respondit mihi, Sufficit tibi gratia mea: cum statim subiiciat, Libenter gloriabor super infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Vnde sequitur Christum esse Deum illum quem Paulus rogauerat.

Porrò vocem Domini restringere ad personam Mediatoris, frivolum est ac puerile, quum passim Apostoli vsurpēt nomen Domini pro Iehoua. Et ne procul querendũ sit exemplũ, nõ alio sensu orauit Dominũ Paulus, quàm quo citatur locus Iohelis à Petro, Quisquis inuocauerit nomē Domini, saluus erit.

Similiter quũ hac forma precantur Discipuli, Tu Domine qui nosti corda omnium, nõ seorsum cōuertunt ad Christum sermonem, quia separatim ei elogium non quadraret: sed fides illorum Dei essentiã simpliciter respicit. Denique ubi nulla est relatio, nomen Dei ad Filium & Spiritum sanctũ extēditur.

Si queritur, an non tutior precãdi forma sit, dum inuocamus Patrem in nomine Filij? Respondeo sicut iã dixi, hanc esse ordinariã & magis familiarem, quæ aptior est ruditati nostræ & vtilior. Sed alias formas quæ etiam in vsu fuerunt Apostolis, & quas illis Spiritus sanctus dictauit damnare, sacrilegæ temeritatis esset. Nec valet illa obiectio, Frustra Deum inuocari absque Me-

g.iii.



diatore: quia etsi fixum est illud principium, Non exaudiri nos nisi per gratiam Mediatoris, non semper tamen in promptu occurrere necesse est.

Quaestio ista, An Patrem rogando, rogemus verum Deum, ex ignorantia principij nascitur. neque enim epithetū Veri Patrem à Filio discernit. quia nomen Dei essentiam illam designat, quae complectitur tres personas: atque ita nulla est antithesis quod attinet ad unam deitatem.

Ad hanc Patrem rogando, ad Filij quoque Deitatem preces dirigimus, quantum medius ipse quoque nobis occurrat. Diversi enim respectus nobis notandi sunt: quia etsi quod Patri proprium est, residet in eius persona, nec Filio convenit, Deus tamen in sua essentia totus & integer manet. ac proinde hac inter se non pugnant, rogari Patrem Filij respectu, & Deū in solida (ut ita loquar) essentia: non quia ullo modo sit partibilis, sed quia nihil absurdi est dum concipimus deitatem Patri, Filio & Spiritui communem, sicut intuitus Filij mentes nostras reflectit ad Patris Personam.

Iam etsi Mediator est Christus quatenus Deus est in carne manifestatus: ideoque secundum utramque naturam: humana tamen natura ratione & proprie tribuitur intercedendi officium, idque in subsidium nostrae tarditatis. Unde & Paulus eum nobis advocatū proponens, hominem potius quam Deum vocat. Et certe ut carnem suam offerens victimam, sacerdotis officio functus est in carne: ita & intercedit pro nobis.

Dum invocatur Christus ipse, quod Ananias ab omnibus pijs factum esse testatur, & Stephani exēplo ritē sanctēque fieri constat: nō homini per se deferatur hic honor, siue ratione humanitatis: sed aeterno Dei Filio, qui ut nobis salutem acquireret carnem nostram induit. Est enim precatio sacrificium, quod sibi vni Deus vendicat. Ideoque ad nudum hominem nihilo magis illud transferre fas est, quam alias diuini cultus partes. Atque ita invocatur Christus ut Deus qui ex seipso auctor est omnium bonorum: & Stephanus plena Deitatis potentia eum ornat, spiritum suum in eius manus commendans.

Quaestio, An aeternus Sermo Dei sit aliquid substantivum & essentiale, ambigua est: ac proinde captiosa esse potest. De nomine Substantiae, tenendum est non esse proprie substantiam, sed hypostasim. Si tamen aliter accipere libeat, facile concedo. Itaque Sermo est aliquid hypostaticum. Sed quū Sermo ipse verē sit Deus, essentiam designat. Sic tamen habendum est, Sermonem essentialiter esse Deum, & tamen in hac voce simul esse personae notationem. Persona autem in ipsa essentia subsistit.

Ex superioribus colligere promptum est, si quis sincerē & absque furo vel fallacia

fallacia credat in Deum Patrem, in Dominum Iesum Christum, & in unum Spiritum: id sufficere. Sed inde simul elicere licet, fucum facere, qui se in Christum credere profitentur, cuius aeternam Deitatem abnegant. Similiter in Spiritum, quem non putant Deum esse, si Pater sit Deus. Tales enim essentiam Dei discernere palam est, nec unitatem retinere, quum Patris Divinitatem asserere nequeant, nisi eam detrahant Filio & Spiritui sancto.

Qui verò fidem orthodoxam odiosè calumniatur hoc pretextu, quòd speculatio de vnica essentia & tribus personis inutilis sit, improbam malitiam produunt: quia non speculamur ultra quàm scriptura nos attollit: sed geminum & simplicem eius sensum reddimus. Nemo enim Christum ex animo agnosceret Deum suum, nisi qui in essentia unitate diuersas personas apprehenderit, ut ea deorum pluralitas, quam fingunt nonnulli, execrabile sit delirium.

Et quibus nimis arguta videtur hæc distinctio, monendi sunt, ut attentius quàm exitialis sit sua ficta simplicitas expendant. Quia ubi Christum professi fuerint esse Deum, nunquam ex Sathanæ laqueis aliter se expedient, quàm ista distinctio quam fugiunt, interposita.

Huc spectauit Nicænum Concilium, ubi asseruit Christum esse Deum de Deo. Neque enim duos fabricare voluit Deos, sed, quauis à Patre distinctus sit Filius, veruntamen Deum esse & eundem cum ipso, excepta personæ notatione.

Sic quum Athanasius & reliqui veteres dixerunt coessentialem Patri Filium: non aliud cœsuerunt, quàm eiusdem esse essentia, quia vnica sit & indiuidua. Qui autem duos numero faciunt Deos, nunquam ex hoc absurdo elabi poterunt, quin partibilem faciant essentiam Dei.

Ita dixerunt tres coaeternos, & tamen Deum unum aeternum: quia non nisi in vno Deo residet aeternitas, quæ tamen tribus personis est communis. Atque ut duæ naturæ constituunt unum Christum, quia idem Deus & homo duabus constat naturis: ita tres personæ constituunt vnicum Deum, quia eius essentia, quæ vna est & simplex, constat tribus personis.

Vbi de Christo loquitur Scriptura, nunc quæ propria sunt humanæ naturæ, nunc quæ in solam Deitatem competunt, ei tribuit: sepius verò complectitur utranque naturam, & Mediatoris personam describit. Itaque prudenter consideranda sunt elogia, quæ nec homini, nec Deo seorsum conueniunt: sed Deo manifestato in carne, qualia ferè sunt quæ leguntur in Euangelio Ioh. à 3. cap. vsque ad 18.

Iam quæ prædicantur de Christo, specialem interdum respectum habent

ad alterã naturam. Sicuti Christi nomen non tantum homini, sed Deo in carne manifestato cõuenit, vnctio tamen propriè ad humanitatem refertur. Mediator Deus & homo, verè est Filius Dei secundum vtramque naturam ratione vnionis, propriè tamen Diuinitatis respectu, quia Sermo est antè secula à Patre genitus. Sermo enim caro factus dicitur, quia carnem induit, vt qui aternus erat Deus, idem homo quoque mortalis esset: nec solum vt humanitas templum esset deitatis, sed vt naturis duabus in vnã personam vnitis, ille per quem eramus creati, idem esset & Redemptor noster.

Omnes loquendi formulas quibus vsi sunt veteres excutere, nimis longum foret. Nam & hoc ineffabile mysteriũ nullis humanis sermonibus propriè & pro dignitate vnquam explicabitur: & suum quisque loquendi modum habet, vt in optimo cõsensu aliter tamen hic loquatur quàm ille. Piè & rectè censuerunt Iustinus & Tertullianus, nec vtrique propositum fuit docere aliud quàm nos fatemur. Sed quia ille non tam erat exercitatus, hic verò posterior aspero vbique & spinoso loquendi modo vtitur: non mirum est si loquutiones alicubi occurrant cauillis obnoxie: quarum tamen facilis est excusatio, modò faceßat libido rixandi & calumniandi.

## BREVIS ADMONITIO IOANNIS

CALVINI AD FRATRES POLONOS, NE TRIPLICEM  
in Deo essentiam pro tribus Personis imaginando, tres sibi  
Deos fabricent.

**A**bulam nuper in Polonia editam, quæ Christum & Spiritum sanctum alios à Patre deos facit, non sine acerbissimo mœrore inspexi. Pridem me hæc cura non abs re anxium tenuit, ne fratres minus in Scriptura exercitatos abriperet Stancari importunitas, vt vitandæ vnus absurditatis causa, in aliam fœdiorem laberentur. Accidit ergo quod timui, ac tristi exemplo patefactum est quàm noxia sit pestis contentio, vbi magis propositum est aduersarium vincere quàm bonam causam simpliciter tueri. Crassum Stancari delirium merito à fratribus Polonicis repudiatum est: sed dum sibi ab vna diaboli astutia cauent, obrepit alter impostor Blandrata Stancaro deterior: & hac occasione abusus est ad errorem non minus detestabilem spargendum. Ita scilicet ab initio versipellis fuit Satan, & nunc quoque variè se transformat, & quasi confligat ipse secum, astute se insinuat, vt miseros illaqueet diuersis erroribus. Stancari delirium iam à nobis  
solidè

solidè ac dilucidè refutatum fuit. Nunc fratres nostros, qui paucorum hominum astu decepti fuerunt, rogabo & hortabor, sultem ut composita mente ad meam admonitionem attendere non grauentur. Quòd si ad resipiscendum dociles fuerint, mihi, ut spero, non erit difficile efficere, ut ab impio commento, quod nimis leuiter & inconsideratè amplexi sunt, abhorreant.

Falsum principium est quod in tabula ponitur, Scripturà semper distinctè loqui de Patre, Filio, & Spiritu: quum ex locis compluribus liqueat nunc comparatiuè, nunc absque distinctione fieri Dei mentionem. Si obtineo duplicem esse loquendi modum, mox euanesceat tota illa inanis speculatio, Vnum esse verum Deum Patrem Domini nostri. Fateor certè, ubi simul Patris & Filii fit mentio, distingui Filiù à Patre: verùm ne sibi placeat tabulæ artifex, distinctionem, ut inscitè iactat, perpetuam esse nego. Incipiam à primo loco, què turpiter corripit. Iehoua Deus tuus, Deus vnus est. Hic quoniã nulla fit comparatio inter Personas, perperam dico ad Patrem restringi vnus Dei nomen. Nam si Iehoua, qui à seipso habet esse, solus est Pater, sequetur, Filium non esse Iehouam. Quomodo enim quod de solo Patre asseritur, ad Filium licet transferre? Nunc videndum, sitne Christus Iehoua necne. Vidit Isaias Deum exercituum sedentem in solio. Negari non potest quin fuerit idem ille Iehouah, quem Moses prædicat vnum esse Deum. Quid autem Ioannes? Quum tot signa fecisset coram eis Iesus, non crediderunt in eum, ut sermo Isaiæ completeretur. Deinde recitato loco, Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo. Futile caullum est excipere, ostensam fuisse Prophetæ Christi gloriam, quia est imago Patris. Neque enim nobis excutietur, si de Christo loquutus est Isaias, in ipsum competere quod dicit de Iehoua. Iam Paulus, ut probet oportere nos omnes fisci ad Christi tribunal, alteram Prophetæ sententiam adducit, Vno ego, coram me flectetur omne genu. Certè apud Prophetam loquitur Deus Israelis, quem vnicum testatus fuerat Moses. Atqui teste Paulo, competit hoc elogium in Christum. Ille ergo idem est qui per vitam suam iurat se gloriam suam alteri nõ daturum. Ac frustra effugere tentabunt, Deum fore iudicem in Christi persona, quia omne iudicium dedit Filio, quando pro confessõ sumit Paulus, verè in Christum competere quod de summo Dei impexo dicitur apud Prophetam. Simili ratione ex eodem Isaiâ probat Christum esse in lapidem scandali Iudæis, quum tamen Prophetam id non nisi de vnicò Deo pronuntiet. Iam ad Christum perperam accommodaret quod David affirmat de summo Deo, nisi fatemur sub illa Deitate Christum comprehendit. Alloquitur David vnicum Deum his verbis, Ascendisti

Ioan  
12.

Isa. 45.  
Rom.  
14.

Isa. 8.  
Rom.  
9.

Psal.  
67.

hij.

*Ephes.* in altū. Paulus docet id in Christo impletū fuisse. Ad hęc, si quid Dei propriū  
 4 est, singularibus elogis insignitur in his verbis, Tu initio Iehoua fundasti cœ-  
*Psal.* lum & terrā. Item, Adorate eum omnes Angeli. Atqui Apostolus Christo  
 102 vendicat: sequitur ergo illic sub Dei nomine totam diuinam essentiam desi-  
*Psal.* gnari, quæ Christo & Spiritui communis est cum Patre. Ac proinde quoties  
 97 suas distinctiones mihi obtrudet tabula fictor, in promptu erit regerere, vbi  
*Heb.* confertur Christus cum Patre, meritò distingui Personas: vbi autem simplici-  
 ter nominatur Deus, minimè Filium excludi. Et certè si soli Patri conuenit,  
 esse vitam, falsum erit illud Ioannis, Hic est verus Deus, & vita æterna.  
 2. *Joā.* Quero enim an alium verum Deum inducat, quàm qui apud Moſen & Pro-  
 5 phetas celebratur? Adde etiā, quāuis Malachias peculiariter de Christo loqua-  
*Mal.* tur, ci tamen ascribere quod trāsferri fas non est à vero & vnico Deo Israelis.  
 3 Nā cui dicatū fuit tēplū in mōte Sion? cui oblata fuerunt sacrificia: Certè præter  
 verū Deū illic numē colere, sacrilega fuisset profanatio. Malachias autem de  
 Christo loquens, Veniet, inquit, ad Templū suū Dominator quē vos queritis.  
*Ier.* 23. Nēpe quia Iehoua nominatur apud Ieremiā, colēdus semper simul cum Pa-  
 tre fuit. Nam quid valeat nomen Iehouæ, diligenter piāque attentione ex-  
 pendere conuenit in hac causa. Hoc elogio Deus Israelis non tantūm se ab  
 omnibus creaturis separat, sed ostendit non alibi quàm in se vno querendā esse  
 essentiā. Hoc nomē dum Prophetæ cum Christo cōmunicāt, satis clarè demon-  
*Act.* 7 strant eū esse qui apud Moſen sic loquutus est. Alioqui nō modò Stephanus,  
 vbi Christum precatus est, violasset legitimā precāli formam: sed tota quoque  
 Ecclesia eiusdē impietatis rea foret. Deus Israelis, quem tabula fictor vult esse  
*Psal.* solū Patrē, sacrificiū omnibus præfert inuocationē sui nominis, atque hunc sibi  
 50 honorem vendicat tanquam præcipuum sacrificium. Quid autem Stephanus?  
*Act.* 9 precationem suam ad Christum dirigit. Ananias autem apud Lucam dicit  
 102 pios omnes inuocasse Christi nomen. Quomodo hæc inter se conuenient,  
 Christum ritè inuocari, & tamen non esse illum Deum, qui per Dauidē illud  
 sacrificiū laudis exigit? Euersum est igitur figmentū illud, vbi que Scripturam  
 distinctè de Patre & Filio loqui, quum sæpe vnicam vtriusque deitatem com-  
 memorer sub vno Iehouæ nomine. Vbi autem Filius Patri adiungitur, mirum  
 non est suam cuique Personam attribui. Quanquam dum multam congeriem  
 affectat tabularius, locos nonnullos malè detorquet. Scio veteres ita exposuisse  
*Gen.* illud Moſis, Pluit Dominus à Domino: sed cum nomen Iehouæ in vtroque  
 102 membro expressum sit, sensus nullo modo quadraret, Patrem à Filio pluis-  
 se. Verūm vt Moſes formidabilem Dei vindictam melius demonstreret, re-  
 petis

petit secundò Dei æterni nomen. Ita ubi dicitur Deus fecisse hominem ad imaginem Dei, stultè queritur distinctio inter Personas. Quòd ad sententiã ex primo capite Ioannis sumptã, distinguitur quidem Filius à Patre, quòd fuerit apud Deũ: sed ubi additur, Sermonẽ illum fuisse Deum, detestabile sacrilegium est, nouam aut aliam deitatẽ fingere. Melius etiam abstinuisset à loco illo Psalmi, Verbo Domini cœli firmati sunt, &c. non quòd insectari placeat, si minus aptè Scripturam citet: verùm ne suum acumen tanta insolentia nobis venditet. In illa etiam sententia, quam profert ex priorè ad Corinth. Distributiones ministeriõũ sunt, idẽ autẽ Dominus: non assequutus est mentẽ Pauli. In multis locis pueriliter argutatur: sed interea venenũ suum prodit, Christus non dicit, Ego & Pater vnus sumus, sed vnũ: fateor: quia illic propositum nõ erat vnũ se cũ Patre Deũ vocare: verùm captio, se inde elicit Christũ esse alium à Patre Deũ. Similiter quum dicit Ioãnes, Hi tres vnũ sunt, quia nõ differit ex professo de essentia vel Deitate, sic loquitur. Hic autẽ vel impostor malitiosè, vel nugator ineptè ad nomẽ Dei trahit quòd prorsus in diuersum finem dictum est. Vno quidem verbo negat se statuerẽ tres Deos: sed hanc absurditatẽ effugere nõ potest, quandiu negabit Christum esse vnũ cum Patre Deum. Si enim non est idem Deus, & tamen Deus est: ergo alius. Apertius dicam, Si Pater suum esse habet à seipso, Filius suũ esse habet à Patre, Spiritus ab vtroque, an non tres essentia emergunt: atque ita vna discerpitur? Et certè si recipitur eius commentũ, nõ alia relinquitur Christo essentia, quam nescio quid abstractũ: sicuti iactat Patris essentia ab initio, ne sterilis esset quæ dat omnibus fœcunditatẽ, Filium ex se protulisse. Hic verò rursus fratres obtestor, vt sibi ab occultis decipulis prudenter cauant: quia si seorsum locatur Christi Deitas à Patris Deitate, pluralitas deorũ inducitur. Et detegitur hæc captio eius verbis, ubi somniũ esse dicit, si in vnũ conflantur Filius & Pater. Cõflatura enim secundũ eũ nihil aliud est, quàm simplex essentia vnitas. Nec verò meas coniecturas in mediũ profero. Scitur apud nos in qua officina fabricat⁹ fuerit diabolicus error, quò Poloniã infecit Blandrata. Verè vnũ fuerunt ipse, & Matthæus Gribaldus, & Valentinus quidã nomine Gẽtilis. Duos nõ puduit palã quòd dixi profiteri, Plures numero esse deos. Verùm quibuscunque se tegat fucus, deprehẽsa tenetur eorũ impudẽtia: quia si idẽ Deus est Filius cũ Patre, sequitur eũ semper fuisse Deũ Israelis, à quo honoris gradu cũ palã excludit. Porò quòd in Symbolo Niceno De⁹ ex Deo vocatur: tametsi dura est loquutio, nõ tamẽ aliò tendit, nisi obstaculo nõ esse discrimẽ inter Personas, quomin⁹ vna sit essentia. Ideo sic resolui debet oratio, quãuis ex Deo sit, est tamen

Deus, & quidem verus Deus. Imò verisimile est, quum fraudem metuerent sancti Patres, consultò illud additum curasse, Deum verum de Deo vero. Certè hanc fuisse Concilii mentem ex Symbolo Athanasii colligitur, qui illic præfuit, si rem ipsam spectes. Ac valde miror eos qui Symbolum iactant, fastidiosè respicere certum & idoneum eius interpretem. Quas ex aliis vetustis Patribus obtendunt sententias iam, non excutio, quia id mihi præstitisse videor in refutatione Gentilis.

Nunc venio ad secundum huius questionis caput. Christus ubique se à Patre discernit. Fateor, nempe quatenus Mediatoris personam sustinet. Rectè enim alicubi admonui, imò sæpiù inculcaui, quæ de se Christus prædicat in Euangelio Ioannis, neque in humanam neque in Diuinam eius naturam seorsum cõpetere, sed ad munus à Patre iniunctum referri. Itaque ubi se unum cum Patre facit, longe aliud consilium eius fuit, quam nos ad nudam arcanam suæ essentia speculationem euehere: quin potius à fine ratiocinatur, nos fore unum cum Patre, quia Pater in ipso residet. Itaque nõ pigebit referre quod pridem scripsi. Vt ritè cõprehendas quomodo Christus & Pater unum sint, caue ne illum exuas Mediatoris personam, sed potius considera ut est Ecclesie caput, & membris suis coniunge: ita optimè stabit contextus, ne irrita sit vel inutilis Filii cum Patre unitas, eius virtutem oportere in totum piorum corpus diffundi. Rursus, ubi Filius Patri subiicitur quasi inferior, curiosus disputare nõ attinet quomodo hoc Deo conveniat in carne manifestato: quia sufficere nobis debet admirabile Dei consilium, quod nomine Dispensationis non malè expressum fuit. Sententia Christi, Pater maior me est, restricta fuit ad humanam eius naturam: ego verò nõ dubito ad totum complexum extendere: quia tametsi Deus sit æternus, quum tamen ad nos descendit, medius esse cõepit inter Deum & nos. Hac ratione vocatur Pater unus Deus, quia Christus carne circumdatus, sic Ecclesie præest, ut Deum habeat caput, quemadmodum Paulus docet. Hoc etiã modo Deus mediatè nos per manum Filii sui gubernat, donec perducti simus ad solidam gloriæ coniunctionem, in qua Filius subiicitur Patri, ut sit Deus omnia in omnibus. Secundum hanc Dispensationem oravit Christus ipse in terris, & nunc ipso aduocato freti, in eius nomine Patrem oramus. In hac doctrina nihil coactum, vel spinosum, quia nõ prodit Christus ad nos nisi Mediator, qui à Deo exiit: habet tamè Deum in se manentem, & in ipso residet omnis plenitudo Deitatis, ut ad Deum nos tandem perducatur, dum familiari & immediato, ut loquitur, Deitatis aspectu, quæ nunc in imagine relucet, solidè fruemur. Clamet nunc Stacarus nos esse Arianos, statim evanescet huius calumnie futilitas, quando fatemur nõ cadere in Diuinam naturam, quod tamè personam Mediatoris re-

Et aptatur. Vbi autem in vna Dei essentia tres agnoscimus distinctas hypostas-  
ses, vt Christi respectu vnus sit Deus eius Pater, ipse verò sit imago Dei inuisi-  
bilis, nihil in hac doctrina est affine Sabellij errori. Viderint autem quos tan-  
topere oblectat perpetua distinctio, ne omnia misceant ac confundant: quia  
Deitatis nomen vbique ad Patris nomen restringendo, mox lacerant in par-  
tes, vbi Filij & Spiritus commune esse nolunt. Porro hallucinandi causa illis  
est, quòd nihil obseruant discriminis inter duas notitiæ species, vbi indefinitè  
nobis describitur Dei maiestas: deinde in tribus personis se patefacit. Ac vs-  
que adeò vera est ea quam asserimus vritas, vt dum seorsum Deus vocatur  
Christus, simul cõprehendatur Patris Deitas. Nam vbi exclamat Thomas, Do-  
minus meus, & Deus meus, Mediatore agnito, altius transcendit. Paulus e-  
tiam quum pronuntiat Christum esse Deum in secula benedictum, non secun-  
dam vel productã Diuinitatem imaginatur, sed quæ vna est, in Christum com-  
petere intelligit. Neque tamen dum sub Dei nomine continentur Filius &  
Spiritus, obducitur caligo, quin tres Persona refulgeant, & sua cuique constet  
proprietas.

Vtinam hæc qua decet modestia & sobrietate secum probè reputent fratres  
Polonici! & qui nunc commenti nouitate tanquam musto inebrietati exul-  
tant, gustare de-integro nõ grauentur doctrinã bene defæcatam & concoctam.

## EPISTOLA IOANNIS Caluini, qua fidem Admonitionis ab eo nu- per editæ apud Polonos confirmat.

GENEROSIS ET NOBILIBVS  
DOMINIS, PRO CERIBVS MINORIS POLONIAE, ET  
ornatissimis viris ciuibus in clytæ vrbis Cracouia, qui ortho-  
doxam fidem constanter sequuntur, Ioannes Caluinus S.

**C**enerosi, nobiles, præstâtissimi viri, & Domini, quum ante qua-  
tuor menses allatus esset tristis nuncius de multorum leuitate,  
qui apud vos à recta & sincera fide ad impium & detestabile  
fumentum defecerant, inò ab ipsis vulgata esset Tabula, qua  
veram Christi Deitatem abolere tentabant: statim breuem admonitionem con-  
scripsi, qua sobrii, dociles, & modesti homines ad cauendas insidias instructi, in  
h.iii.



sana pietatis doctrina retinerentur. Postea ex optimo fratre nostro Domino Christophoro Trecio cognoui, à prudentibus & cordatis viris deprehensas fuisse eorum fraudes, qui fidei principium de tribus in Deo personis labefactare conati fuerat. Idem mihi scripserunt fideles Christi serui D. D. Stanislavus Sarnicius, & Iacobus Syluius. Imprimis verò letatus sum, vestra diligentia & virtute iterum colligi apud vos Ecclesiam, cuius timenda erat misera dissipatio. Interea tamen didici, quia vobis negotium est cum hominibus superbis & praefractis, duris & assiduis certaminibus vos exerceri: ac proinde non inutile vobis fore, si quod à piis fratribus ad vos confirmandos oblatum esset subsidium. Ego autem cum in eorum numero censeri cupiam, partibus meis deesse nolui.

Porrò teterrimus hic error, qui apud vos grassatur, fauorem obtinuit ex immodico cōtentionis feruore. Nam quum Stancarus insulsus Sophista, & rabula improbissimus commenta sua ingereret, Christum Mediatorem duntaxat esse, quatenus homo est, ideòque apud totam Trinitatem intercedere: optimum compendium quidam esse duxerunt, si responderent solum Patrem verè & propriè esse Deum. Ita effugium illud nimis cupidè multi arripuerunt, quòd ita putarèt nullo negotio refutari Stancari ineptias. Sic ut veteri prouerbio dicitur, nimium altercando veritas amissa fuit. Equidem non dubito quosdam inscitia, vel inconsiderata facilitate lapsos esse: verum conicere simul licet, nonnullos astutè captasse occasionem, ut execrabile delirium, quod plausibile fore sperabant, simplicibus impunè obruderent. Sunt enim apud vos impuri nebulones Georgius Blandrata, Valètinus Gentilis, Ioānes Paulus Alciatus, & similes, quos furiosa libido nouādi & turbandi precipites agit. Verum illis omisus, summam ipsius quæstionis perstringere expediet.

Volunt quoties occurrit nomen Dei in Scriptura, restringi ad solum Patrem. Atqui postquam Spiritus sanctus unum esse Deum pronuntiauit, aperte docet Christum fuisse illum Deum. Nec verò aliter stare testimonium Ioannis, Hic est verus Deus & vita aeterna, nisi esset idem cum Patre Deus. Iam ubi Dei nomen indefinitè vsurpat Paulus apud Lucam, non nisi de Filio id potest intelligi, quādo disertè exprimit sanguine Dei redemptam esse Ecclesiam. Actor. 20. 28. Verum satis superque nobis esse debet, quòd tradūt Prophetae de unico & aeterno Deo, Apostolos aptare ad Christi personam. Luculentas eius rei probationes suggeret vobis mea admonitio. Quod obstrepunt, Deum passim vocari Patrem Christi: in promptu solutio est, Quoties inter se comparantur duæ Personæ, Dei nomē peculiariter ascribi Patri, quia Deitatis principium est: sed ubi nulla fit cōparatio, Filium comprehendī sub Dei nomine. Et sanè si admittitur relatio

*in ipsa*

ipsa Dei essentia, iam non una, nec simplex erit, sed lacerabitur. Paulo clariùs id explicabo. Si essentia respectu confertur Filius cum Patre, multiplex inde emerget Deitas, quo nihil absurdius est. Et tamen non pudet illum ter perfidum apostatam Gentilem blasphemiam hanc euomere, Christum esse à Patre essentiatum: ubi agnoscitis diabolico figmēto excogitatam esse prodigiosam vocem. Denique sicut olim Manichæi fabulati sunt animam hominis ex Dei traduce originem ducere: ita hic præstigiator fingit Dei Filium esse nescio quod abstractum à vera Deitate. Atqui si essentiatum est Christus, non est ille Iehoua, qui olim Prophetis apparuit: quod tamen Apostoli testantur. Hoc quidem effugere nequeunt, quin disceptant essentiam Dei, nisi concedant Christum essentialiter unum esse Deum. Detegitur etiã alter eorum furor: quia nisi idem sit Filius cum Patre Deus, plures deos induci necesse est. Tergiversando nihil proficiunt, quia planè elicitur ex eorum cõmentis, Christum alium esse à Patre Deum. Quod obiiciunt, alium vocari, sicuti Spiritus vocatur alius ab ipso cõsolator, nullo negotio diluitur. Neque enim vsquam Scriptura ubi Personas distinguit, Deum ipsum secat in partes vel frustra, ac si secum eius essentia cõslingeret. Alius ergo Filius est à Patre, sed non alius Deus. Quare distinctio non potest nisi ad Personas accommodari. Hoc autem modo nõ habemus Deum conflatum, ut odiose, simulque futiliter garrunt: quia tametsi vnus est nobis Deus, ubi tamen in mediũ prodit Filius, suum gradum obtinet Pater, ut discrimẽ emineat.

Tenenda quoque est loquendi ratio Scripturæ trita, dum Christus quatenus Mediator est, inferior Patre statuitur ( de toto complexo loquor, hoc est, Deo manifestato in carne ) quia nunc Pater caput est, donec Christus acceptum ab eo imperium restituat, ut sit Deus omnia in omnibus. Nec est cur Stancarus hic insultet, ac si Christus fieret Patre minor, quando hic non de natura Deitatis agitur, sed notatur tantum œconomia vel dispēsatio admirabilis consilij Dei, quæ nihil derogat æternæ Christi gloriæ. Hinc elicitur pura fidei sinceritas, in vno Deo ita esse tres Personas, ut Filius nõ sit Pater, sed differat à Patre, ut vna sit vtriusque essentia. Vnde sequitur, quanuis nõ comparatiuè, tamen indefinite unum esse Deum. Quidquid blaterent virulentæ linguæ, in hac fide acquiescere semper tutũ erit: sicuti vtile quoq; spinosis multis quæstionibus ansam præcidere, simulque supersedere à formulis loquendi vel nimium asperis, vel à Scripturæ vsu remotis. Precatio vulgò trita, Sancta Trinitas vnus Deus misere nostri, mihi nõ placet, ac omnino barbariem sapit. Nolim igitur vos de rebus superuacuis litigare, modò illibatum maneat quod dixi de tribus in vna essentia Personis.


Quid blateret Stancarus nihil moror, nec verò equum est, puram & genuinam pietatis doctrinam, cui nihil affine habet, eius commentis obscurari. Quod ergo ab eo dicitur, *Vnus Deus & vnus Mediator, id est Trinitas: item, Vt cognoscant te vnum Deum, id est, Trinitatem: Creditis in Deum, id est, in Trinitatem: Quidquid petieritis à Patre, id est, à Trinitate: non modò tanquam insipidum, sed profanum quoque repudiamus. Facebant igitur peruersæ illa speculationes, quæ inuidiam conflare possent sanæ doctrinæ apud imperitos, & ab improbis nebulonibus in hunc finem captiose obtenduntur. Vbi cunque enim occurrit Filij mentio, Dei nomen distinctè in Patrem competit. Sed interea minime ferendum est, vt artifices isti Blandrata, & Valentinus indignè corrumpant Scripturæ locos, vbi Christus simpliciter Deus vocatur. De solo Christo volunt esse dictum, Sermo erat Deus: item, Sanguine Dei acquisita est Ecclesia: item, Qui est Deus benedictus in secula: item, Hic est verus Deus & vita aeterna. Fateor quidem hoc de solo Christo prædicari, modò ne Deum secundum comminiscatur: quod facere ipsos liquet. Quo enim sensu hæc elogia ad solum Christum restringunt, nisi quia aliter Christus quàm Pater vocatur Deus? Ego autem contendo Deum vocari, quia vnus est cum Patre Deus, & vna est vtriusque essentia. Nam si Christus Patrem vocando solum verum Deum, se nõ excludit, certè non attingit suam essentiam, sed tantum dispensationem respicit, & personam Mediatoris.*

Patrum testimonia non minùs inscitè deprauant. Neque tamen miror tam audacter hincinde arripere quæ facere putant ad suam causam. Homines sunt indocti, nec exercitati in scriptis veterum. Iam dum turbulento impetu feruntur ad captanda patrocina, promiscuè arripiunt quæcunque videntur à recepto vsu paulum remota esse. Luculentum eius rei specimen est, quòd superbe iactant Tertulliani verba, ac si nobis aduersarentur. Quid autem verba illa continent? Si natus fuisset innatus, comparatus cum eo qui esset innatus, equatione in vtroque duos faceret innatos, si nõ genitus esset, collatus cum eo qui genitus non est. Atqui non aliud tradit pius vir, quàm quod subinde inculco, Filium tunc demum à Patre discerni, vbi in comparationem veniunt Personæ. Quid enim significant participia, Comparatus & Collatus, nisi ex relatione vnus Personæ ad alteram existere discrimen? Relatio autem ad essentiam vno veterum omnium consensu damnatur. Quæ verò falsarij isti ad stabilendum suum errorem detorqueant, plusquàm finiola sunt. Pater & Filius, teste Hilario, non est vnus, nempe Persona: quando pius ille doctor non desinit singulis ferè paginis vnâ & simplicem Patris & Filij essentiam asserere, vt Filius idem sit cum

*Patre Deus, & tamen Persona respectu differat. Quàm verecundè autem Basilium, & Athanasium, & similes nobis obtrudunt? quorum testimoniis millies confoditur detestabilis ista impietas. Ceterùm, quia in refutatione Seruetti, & Gentilis, hanc partem satis probè explicuisse mihi videor, quæ inde sumere licet repetendo, molestiam & tedium vobis non afferam.*

*Supereft nunc, Generosi, Nobiles ac præstantissimi viri, vt in huius causæ defensione infatigato studio pergatis. Res est non leuis momenti, tenere Christum esse vnicum Deum, à quo vita & salus petenda est, & in quo gloriari fas est. Id vobis eripere conantur sacrilegi isti erronei. Quare non aliter vobis certandum, quàm si ad Deum fictitium vos abducerent. Pluribus vos hortarer, nisi spontè satis animatos esse considerem. Valete igitur, Nobiles & Generosi Domini, & præstantissimi viri. Dominus vos Spiritu prudentiæ semper gubernet, inuicta virtute sustineat vsque ad extremum. Geneuæ, pridie Calend. Maij, M. D. LXIII.*

MAGNIFICIS, GENEROSIS ET  
NOBILIBVS DOMINIS AC PIIS ET FIDE-  
libus Ecclesiarum ministris in Polonia & Russia, dominis & fra-  
tribus suis charis & honorandis, Iosias Simlerus Gratiam &  
pacem à Deo precatur.

 *Christiana Charitas, qua omnes qui eandem religionem profite-  
mur inter nos coniuncti sumus, & meus erga vos omnes amor  
singularis ex admiratione vestræ fidei & pietatis ortus, fecit vt  
ego homo peregrinus & vobis ignotus auderem ad vos de re-  
bus maximis & grauissimis scribere. Nihil enim existimo in humanis rebus  
cognitione Dei maius esse, nullasque controuersias grauiores quàm quæ sunt  
de rebus diuinis, in quibus vniuersa ratio salutis nostræ posita est. Quare post-  
quam superioribus annis audiimus Ecclesias vestras, arrogantium quorun-  
dam & contentiosorum hominum improbitate laceratas & turbatas esse,  
magnum & incredibilem ea de re omnes boni dolorem accepimus. Facile e-  
nim videbamus semel motis nouis quæstionibus, alias quoque nouas contro-  
uersias quotidie orituras, dum quisque semel conceptam opinionem pertina-  
citer tuetur: ex quo deinde sequitur multorum offensio & abalienatio, &  
studium piæ Christianæque disciplinæ in tanto rixandi studio negligitur. Huic*

malo nos omnes qui Tiguri Christum prædicamus, mederi voluisse, & literis priuatim ac publicè scriptis pacis & concordia auctores fuisse, vos ipsi optimi testes estis. Quinetiam quum nuper apud vos Franciscus Stancarus, libro in publicum edito omnibus probris & conuitiis nos consecutus esset: non tamen his ad respondendum quisquam nostrum commotus fuisset, nisi statuissemus aliquam ex hac responsione utilitatem ad vos posse redire. Ideoque ego fratrum consilio has respondendi partes suscepi, si fortè controuersia hac exactè discussa in concordiam pristinam ecclesie reduci possint, cuius rei nõdum profusus omnem spem ex animo meo deposui. Non quòd existimem Stancarum ipsum, hominem natura contentiosum & maledicum, posse ullam moderationem huius controuersie admittere: sed quòd videam sequi eius partes homines doctos quoque & moderatos, cum quibus, si perspicuè exponantur aliqua que in hac controuersia ambiguè dicuntur, non difficulter aliqua concordie ratio iniri poterit. Nam si primum inter partes conueniat de fide sancte Trinitatis & incarnationis Domini nostri Iesu Christi, ita vt dilucidè & perspicuè Sabellij, Arii, Nestorij atque Eutychetis errores excludantur, & deinde explicetur quid sub mediationis nomine & officio comprehendatur, & quid sit Christum facere aliquid, aut esse secundum diuinam aut humanam naturam, ita vt de harum loquutionum sensu partes inter se conueniant, existimo deinceps non fore difficilem & obscuram de Mediatore controuersiam. Quod autem dico primum omnium Arii & Eutychetis, aliisque errores damnandos esse, non tam me Stancari conuitia mouent, qui etiam infantes Arianismi damnat, quàm multorum bonorum virorum sermones & literæ, & præterea tabula quædam nuper apud vos edita. Nam tabula illius auctor, dum contra Sabellium tuetur veram personarum distinctionem in sacra triade, interim non obscure in nouorum Arianorum partes accedit, qui tres Deos non quidem verbo, sed re ipsa nobis fabricantur. Et quoniam apud vos degere audio Valentinum Gentilem & Georgium Blandratam: quorum hic peruersæ fidei de Trinitate non obscura indicia alibi edidit, alterius verò impius libellus in publicum editus extat, non temere metuo ne fortè & tabula huius auctori, & præterea nonnullis aliis suum venenum afflauerint. Solent enim noui Arianismi auctores sese variis & miris artibus insinuare, atque suum venenum sensim non omne simul effundunt, & quo simplicium animos percillant, magnificè & tragice sese iactant, se solius Dei gloriam querere, se non intueri hostes, turbas, imò ruat mundus, modò, inquit, sit Dei gloria & Filij Dei veritas salua: hanc autem se

velle

velle tantum ex sacris literis asserere. Abiecisse alios multa Patrum deliria  
 & scholasticorum nugas pedibus conculcasse: interea tamen in hoc vitæ æ-  
 ternæ articulo multa ex illis arripere, & verbum Dei obtenebrare novis no-  
 minibus introductis alienis à sacra Scriptura. Equidem voluntatem eorum  
 laudo quicumque ex animo gloriae Dei student, & quòd eam ex sacris literis  
 illustrare volunt, probo: an autem omnia quæ nonnulli de Trinitate spargunt  
 pro oraculis quibusdam, sacris literis confirmantur, & gloriam Dei illustrent,  
 diligenter considerandum existimo. Neque enim nobis de verbis, ut aliqui  
 arbitrantur, certamen propositum est: sed de rebus ipsis, de quibus si inter nos  
 conveniat, nomina essentia aut personæ, aut alia eiusdem generis, quibus  
 veteres usi sunt, non patiemur impedimento esse concordia. Querimus quid  
 sacra litera de Divino numine doceant, & cupimus diligenter expendi, an id  
 quod hæc nomina significant, in illis tradatur: qua in re si conveniamus, faci-  
 le etiam in verbis conveniemus: ubi verò in rebus ipsis dissensio est, suspecta  
 nobis & periculosa videtur omnis receptorum nominum immutatio. Ac mir-  
 ror esse aliquos ex his, qui nobis obiiciant nomina à nobis usurpari, quæ in  
 Scripturis non habeantur, cum illis subinde in ore sint nomina Dei essen-  
 tiatoris & essentiati: quæ certè non à Prophetis aut Apostolis acceperunt.  
 Nec tamen hoc reprehendimus, quòd nomina usurpent aliena à sacris li-  
 teris, sed quòd alienam quoque ab illis doctrinam proponant. Querunt e-  
 nim Dei Patris & Filij ac Spiritus distinctionem in essentia, ita ut ea so-  
 lius Patris propria sit, & aliam habeant Filius & Spiritus sanctus: ut au-  
 tem hoc probent, omnia loca in quibus Scriptura distinctè de Patre & Fi-  
 lio loquitur accumulant, additis etiam multis quæ non ad rem præsentem  
 faciunt: ubi autem unius Dei fit mentio, aut nomen Dei absque attribu-  
 to aliquo ponitur, aiunt solum Patrem intelligendum esse, quòd hic sit vnus  
 Deus verus & αὐτόθεος. Verùm hac ratione si alius Deus est Pater, & alius  
 Deus est Filius, & alius Deus Spiritus sanctus, & quilibet distinctam aut di-  
 versam ab altero habet essentiam, erunt omnino tres dii: quòd quanuis neget  
 tabulæ auctor, tamen id ex eius doctrina efficitur, & alij ex hac factioe id  
 aperte dicunt, & docent, Trinitatem esse vnionem trium essentiarum, seu  
 trium spirituum distinctorum. Nos verò non Patrum deliria aut scholastico-  
 rum nugas, sed sacrarum literarum doctrinam sequuti, docemus Patrem & Fi-  
 lium atque Spiritum sanctum esse tres distinctas *ὁμοούσιους*, hoc est, ut quidam  
 veterum loquuntur, substantias aut personas, quarum qualibet dicitur Deus:  
 & quia sacra litera prædicant vnum esse Deum, credimus Patrem & Filium

& Spiritum sanctum esse unum hunc Deum, quem nobis Scripturae cre-  
 dendum & adorandum proponunt: ita ut sit una essentia aeterna, optima, sa-  
 pientissima, omnipotens, immensa, immortalis, in qua tamen, ita ipsa se pate-  
 faciente, agnoscimus & credimus in eadem Deitate tres, ut dixi ὁπὸς ἀοεία  
 non tria tantum nomina, sed tres personas, aut tres res substantiales: non ta-  
 men tres essentias, quoniam ὁπὸς ἀοεία, quam nos hic substantiam, alij subst-  
 stentiam nominant, plurimum differt ab ἀοεία, quam essentiam interpretamur.  
 Quapropter etiam Sabelliani non sumus: quavis. n. unum Deum unamque  
 essentiam credimus, non facimus tamen unum Deum triū nominum, sed per-  
 sonas distinctas conservamus, ita ut Pater non sit Filius, & Filius non sit Pa-  
 ter: & libenter admittimus ut dicatur alij esse Patrem, & alium esse Filium,  
 & alium esse Spiritum sanctum, non tamen addatur alij Deum esse Patrem,  
 & alium Deum esse Filium aut Spiritum sanctum: nomen enim Dei cum es-  
 sentiam significet, ex aequo ut essentia omnibus personis idem est, neque rela-  
 tionē patitur. Itaque falsum est quod auctor tabulae scribit, Quoties nomē Dei  
 absolute ponitur, de solo Patre intelligendum esse: ut quum dicitur, Audi Israel,  
 Dominus Deus tuus unus est. Nam hunc unum Deum Israel lex ab eo  
 data adorare iubet. Christus etiam inquit, Dominum Deum tuum adorabis, &  
 illi soli servies: & per Prophetam Deus inquit sibi flectendum esse omne ge-  
 nus: igitur si Dei nomen hic solum Patre significat, peccamus adorantes Filium:  
 & male Apostolus ad Filium transtulit, illi flectendum esse omne genu. Deus  
 qui unus est, creavit caelum & terram, omnemque hanc rerum universitatem,  
 & hoc elogio se per Prophetas ornat, & à falsis diis distinguit: atqui Aposto-  
 lus ad Colossenses & ad Hebræos hoc Christo tribuit, quod per ipsum omnia cō-  
 dita sint & consistant. Israelitæ in deserto tentarunt Dominum Deum suum,  
 qui eos ex Aegypto eduxit, & se unum ac solum Deum ipsorum esse testatus  
 est. Apostolus autem hoc interpretatur de Christo, quē Israelitæ in deserto ten-  
 tarint. Unus ille Deus Israelitarum peculiariter sibi hoc nomen Iehoua ven-  
 dicat, & tamen Apostoli ea quae in Prophetis de hoc uno Iehoua dicuntur,  
 ad Christum accommodant, quod ipse sit hic Iehoua. Tribuitur quidem a-  
 liquando Deitas Patri, ut quum Apostolus precatur Gratiā & pacem à  
 Deo Patre & Domino Iesu Christo: item quū meminit agnitionis, cōspectus,  
 gratiā & pacis Dei & Domini Iesu Christi: verum hic Patri non ita tribui-  
 tur Deitas, ut non eadem etiam sit Deitas Filij: sed quia Mediatoris Domini  
 nostri Iesu Christi mentio fit, per quem nobis ad Deum accessus est, idē Chri-  
 stus medius quasi inter Deum Patrem & nos interponitur, nō quod essentia,  
 sed

sed persona & officio alius sit: at quum essentiam respiciunt Apostoli Christum Deum super omnia benedictum, & magnum Deum, ac verum Deum nominant. Itaque quum Apostolus ad Timotheum inquit, *Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, non negamus vnus Dei nomine posse Patrem intelligi: sed tamen contendimus Filium esse etiam vnum Deum cum Patre, si essentiam spectemus: id quod communi consensu Patrum doctissimi in huius loci interpretatione docent. Videtur quibusdam Paulus Patris & Filij Deitate distinguere, quum inquit, Tamē nobis est vnus Deus qui est Pater, à quo sunt omnia & nos in eo: & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum. Sed Apostolus hoc loco Deum verum à falsis diis distinguit: inquit enim, Nam etiamsi sint qui dicantur dii, & in celo & in terra (sicut sunt dii multi & domini multi) nobis tamen vnus est Deus Pater ille à quo omnia. Itaque si Pater ita est vnus, vt Filius alius ab eo sit Deus, necessario Filius falsis diis adnumerandus erit: nā prater vnum Deum non alios Deos agnoscit Apostolus, nisi eos qui dicuntur dii, & vt alibi inquit, Natura dii non sunt. Distinguit, fateor, Patrem à Filio, Patrique tribuit quod ab ipso sint omnia, quia ab ipso est origo: in personarum distinctione, ipse solus est ingenuus: quod Patri proprium est ratione personæ, non autem in essentia discrimen facit. nam & Filij essentia est ingenua, vnde Basilius inquit ἀγέννητος ἐστὶν ἰσὺς ἁπλοῦς, οὐ τῆς ὕλης. Neque ideo Filius non est Deus à quo omnia, quia dicitur per ipsum omnia: nā hanc præpositionum discrimen nullum in scripturis seruetur, quandoquidē Apostolus ad Romanos, Ex eo inquit, & per eum, & in ipsum sunt omnia: hoc siue de Patre siue de Filio intelligamus, siue Deo simpliciter attribuamus Patri Filio & Spiritui sancto, corrumpit illa ab Arianis conficta distinctio: qui diuersitate istarum præpositionum probare volunt, diuersam aut distinctam esse Patris & Filij essentiam. Afferuntur præterea multa alia ex Paulo, quo probetur Patris & Filij eiusmodi distinctio, vt non sint vnus Deus: quæ omnia commemorare longum esset, cum in omnibus non essentia Filij à Patre distinguatur, sed Christus vt Mediator Patri conferatur: quod etsi antè dictum est non temere repeto. Ne tamen videar ea velle subterfugere aliqua apponā. Colossenses tertio: Vita nostra, inquit, abscondita est cum Christo in Deo. loquitur hic Apostolus de Christo vt Mediatore, qui à mortuis surrexerit, & ad dextram Dei sedeat: num ergo essentiam ideo distinguit, aut propter dispensationem veram Deitatem soli Patri tribuit? Gratias ibidem iubet agere Deo & Patri per Christum, haud dubiè vt per Mediatorem. Ad Timoth. scribit Apostolus, Denuntio tibi*



coram Deo qui uiuificat omnia, & Iesu Christo, qui reslatū fecit corā Pontio Pilato bonam professionem. An obscurum est Christum hic ut Mediatorem à Patre distingui? Quod si Deus qui uiuificat omnia, ita de Patre dicitur ut nō sit Filio proprium, quare ergo Apostolus Christum vitam nostram nominat? quare Filius se dicit uiuificare quos uelit? quare Spiritus uiuificare dicitur? Ad Thessalonicenses scribitur pœnam daturus eos qui non nouerunt Deum, neque auscultant Euangelio Domini nostri Iesu Christi. An nō autē Deus hic quem illi ignorarunt, is Deus est cui illic Apostolus tribuit iustū iudiciū, & regnum pro quo fideles patiuntur, cuius sunt ecclesie quas Dei ecclesias nominat: quæro igitur an hæc solius Patris sint, & non etiā Filii? Ad Philipenses Pax, ait, Dei quæ superat omnē intellectum, præsidio erit cordibus uestris, & mentibus uestris in Christo Iesu. Sed si hæc pax Patris tantū est, aliāne erit ab ea in quā uocati sumus, ab ea pace quā Christus suā uocat, & se eam fidelibus dare & relinquere inquit: si pax hæc nō etiā Christi est, frustra propheta Esaias ipsum Principem pacis nominauit, & quidē eius pacis cuius nōn erit finis. Ad Thessalonicenses, Vt glorificetur, inquit, nomen Domini nostri Iesu Christi in uobis, & uos in eo, ex gratia Dei nostri, & Domini Iesu Christi. Sed quomodo glorificamur in Christo: Quod potentiam & robur ab ipso accipimus, ut malis non cedamus. de hac enim glorificatione in persecutionibus hoc loco Apostolus loquitur. Si hæc gratia solius Patris est, quare in eadem epistola Paulus precatur, ut Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac Pater consoletur corda fidelium ac stabiliat? cur item inquit, Fidelis est Dominus qui stabiliet uos & tuebitur à malo? Si gratia Dei Patris tantum est, quare in fine epistolarum Paulus non Patris aut Dei, sed gratiam Domini nostri Iesu Christi fidelibus optat? In Apocalypsi optat Ioannes pacem ab eo qui Est, qui Erat, qui Venturus est, & à Iesu Christo, qui fidus est ille testis, primogenitus ille ex mortuis. Quæro an non Christus reuelarit hæc Ioanni? utriusque. Nam ideo Apocalypsis Iesu Christi nominatur. Is autem qui Ioannem alloquitur, inquit, Ego sum A & Ω primus ille & ultimus. Et hæc dicere inquit Ioannes eum qui Est, Erat, & Venturus est. Quæro hic qui Venturus est, an non potius de Filio esset intelligendum, etiamsi Ioannes hoc non explicaret? Hæc tamen omnia non ideo adduximus, ut negemus Filium à Patre distinctum esse: sed ut ostendamus ita esse distinctum ut una eademque sit ueritasque Deitas, ita ut quæ Deo simpliciter tribuantur in scripturis, non ita uni Deo Patri tribuantur, ut non etiam Filius Dei nomine intelligatur, etsi ut Mediator à Deo Patre distinguitur. Quod si omnino ita u-

*nus Deus est Pater, ut Filius non sit idem Deus: ergo quum Christum unum Dominum appellat apostolus, Pater non erit Dominus. at qualis Deus erit absque dominio? Si igitur ubique in sacris literis quum Dei nomine absque adiuncto aliquo Filii aut verbi nomine ponitur, solus Pater significatur, quid dicemus de dicto Christi, Nemo est bonus nisi vnus Deus? negabimusne Christum bonum esse? num etiam negabimus eum esse aeternum, immortalē, inuisibilem, sapientem? quando quidem hæc soli Deo tribuit apostolus ad Tim. Respondent Filium hæc omnia habere, sed dependenter: Patrem vero independenter. Nã Patrem esse ingentum & αὐτόθεον, Filium à Patre essentiatum esse, itaque habere eum aeternitatem, immortalitatem, bonitatem & reliqua à Patre. Et hæc quidem exponunt verbis paucis, erroribus multis. Cum. n. Filium à Patre essentiatum esse dicunt, videntur præsupponere prius Patrem fuisse, & deinde ex eo Filium natum esse, ac ita suam essentiam accepisse à Patre, quemadmodum fit in generatione humana. Filium item faciunt Patre minorem: si. n. Pater omnia habet à seipso, nihil autem à seipso Filius habet, ingens inter ipsos discrimen & tale statuitur quod vix ullam comparisonem admittit. Ponunt essentiam generare & generari, cum tamen in his rebus inferioribus & imperfectis non essentia generet, sed res subsistens. Nō negamus Filium habere essentiam à Deo Patre, sed essentiam genitam negamus. Et quum dicimus Filium essentiam à Patre habere, credimus illum, & eandem & totam à Patre habere, atque hoc ab aeterno. Si enim non habet essentiam Patris, est diuersus Deus, imò non est Deus. Sin eam habet totam & æqualis est Patri, tum eadem erit vtriusque essentia: nam æqualitas in essentia est identitas. si autem non habet totam, non est Deus, aut esset Deus cum defectu: id enim non haberet quod illi deest, & in Patre est: deinde statueretur hac ratione essentiam Dei, quæ simplicissima est, in partes posse diuidi: quod est falsissimum. Sin verò dixerint illum non habere essentiam Dei, sed esse ex essentia Dei (hoc enim cauillo vtuntur) generationem eius tollunt: in rebus enim naturalibus omne quod generatur non tantum fit ex essentia aut substantia alterius, sed eam in se habet non totam sed ex parte, ob harum rerum imperfectionem: in diuinis autem non pars, sed tota essentia generantis communicatur. Verum de his nunc disputare non est mei propositi, quando quidem iam dudum hos errores diligenter confutarunt cum alii, tum præsertim quem honoris causa nomino Ioannes Calvinus ecclesie Dei decus, qui primum Serueti & postea Valentini quoque Gentilis blasphemias doctissime confutauit, & nuper breui ad vos honorandi fratres admonitione conscripta, paucis multa complexus est.*

quæ ad hanc causam faciunt. Equidem meliora spero de tabula auctore, quis  
 quis is tandem fuerit: neque enim in eas blasphemias erumpit quas Gentilis e-  
 ructavit, & quidam alij clanculum susurrare solent. Sed tamen ea semina ia-  
 cit, ex quibus deinde magna impietatis messis oritur. Nam si voluerimus in  
 Trinitate talem distinctionem consecrari, quæ essentiam Patris à Filii essen-  
 tia distinguat, ita vt in Patre tantum vera deitas remaneat, statim hinc  
 conficietur, Patrem & Filium duos esse Deos, & quidem admodum inæ-  
 quales. Hoc autem asserere adeo impium & à ratione alienum est, vt ipse  
 Arius huius impietatis patronus, maluerit Filium Dei creaturam dice-  
 re, quam duos Deos fateri. Posito autem semel hoc fundamento, aliam esse  
 essentiam Patris quam Filii, quum deinde incarnatio Filii explicanda est, bone  
 Deus quæ portenta comminiscuntur nonnulli, quantam confusionem introdu-  
 cunt, dum ea quæ humanæ naturæ sunt, omnia ipsi deitati tribuunt, omnia-  
 que quæ de Christo dicta sunt in sacris literis, simpliciter & absque o-  
 mni tropo intelligi debere contendunt. Quæ cum ita sunt, Fratres honorandi,  
 vestre pietatis & prudentiæ erit vigilare, & cauere ne impium hoc semen sa-  
 tan in ecclesijs vestris serat: nam si radices egerit, nunquam poterit nisi cum  
 magno motu & turbatione ecclesiarum denuo extirpari. Quas enim turbas o-  
 lim in ecclesia excitauit Arius, cuius errores nunc alio nomine & titulo re-  
 nouantur, omnes historiae testantur. Quauis autem pii principes Synodis mul-  
 tis malum hoc compescere conati sint, semper tamen aliqui fuerunt, qui illud  
 alijs verbis, quasi alia ac noua quadam veste tectum & ornatum in publicum  
 producerent: donec tandem omnis hæc impietas, in Mahometanismum quasi  
 quandam omnium hæresedon sentinam confluxit. Est scilicet humanis inge-  
 nijs insita quedam curiositas, quæ cum in alijs rebus sæpe pernitiiosa est, tum  
 maxime vbi se ad Diuinam maiestatem scrutandam contulerit: cuius gloria a-  
 cies humanæ mentis quantumuis perspicax opprimitur. Quare illi rectissime  
 consulere videtur, qui iubent huiusmodi curiosas quæstiones omni studio vita-  
 re, & acquiescere simplici doctrinæ, quam nobis tradunt sacræ literæ. Multa  
 quidem præclare à Patribus de Trinitate scripta sunt, postquam Arius hac  
 de re controuersiam mouit: & legibus quoque Imperatorijs prohibitum est,  
 ne quis puram hanc & catholicam Patrum doctrinam è scripturis desumptam  
 impugnet, verum ab his hominibus & hic Patrum consensus spernitur, &  
 leges ab ipsis Leguleis qui sunt ex hac factione negliguntur: tantum quæ ob-  
 scurius dicta sunt à veterioribus antequam vlla hac de re controuersia esset, col-  
 ligunt. Itaque ego nunc neque ad Patres, neque ad leges, sed ad scripturas, de  
 qui-

quibus gloriatur eos prouoco. Illa igitur & præterea ipsa ratio docet nos Deum esse ens summum & vnicum, atque vt Tertullianus loquitur, summum magnum, & forma & ratione & vi & potestate: itaque quum Deus nominatur, omnes animo concipimus Deum esse summum quid, quo nihil melius, nihil maius & præstantius esse possit. Rursus eadē Scriptura prædicat nobis Patrem, Filium & Spiritum sanctum, & Patrem verum Deum, & Filium verum Deum, & Spiritum sanctum verum Deum esse testatur. Hæc tamē quum audimus, nõ dicimus tres esse Deos: quia vnum Deum Scriptura prædicat, & Deus si nõ est vnicus non est Deus, quia nõ est summus: quare etsi tres nominari audimus, vnum tamen Deum credimus, vnã scilicet naturam seu essentiã omnibus tribus cõmunem: & rursus, quia certis propriisq; notionibus eadē Scriptura Patrē à Filio & Spiritu sancto distinguit, rursus illi fidem habemus esse hanc distinctionem veram, qua re non tantum nomine distinguatur. Ratio quidem hic hæret quomodo Deus sit trinus & vnus: & ideo plerique acuti homines hæc doctrinam impugnant, quod eam non possunt ratione cõprehendere: sed in hac quæstione, vt bene monet Athanasius, etiam si te non explices, non est ideo diffidendum sacris Scripturis, quoniam melius est hæsitabundos ignorata causa tacere & credere, quàm ideo nõ credere quia hæsites. In hac fidei simplicitate scimus multa cauillari homines sciolos, qui in his rebus acumi suum volunt ostendere: sed eorum sophismata facillè retundere & cauere poteritis, si Scripturarum lumine adhibito non tantum obiter initia & semina huius aduersæ doctrinæ cõsideraueritis, sed flores & fructus impiorum dogmatum qui ex his oriuntur. Quia in re obseruanda studium & diligetia adhibenda est, propterea quod huius erroris patroni suam impietatem non statim produunt, sed initio in paucis ab vsitata doctrina recedunt, donec se in animos hominum penitus insinuarint: tum enim demum liberè suam impietatem effundunt. Itaque quidã huius factionis princeps inter suos apertè docet duos esse Deos, & multa impiè de incarnatione Dei nugatur, quæ eius discipuli apud vos fortè adhuc vix musitare nunc audet: verum si locum nascantur & tẽpus idoneum, tum demum apertè Arianismum eos prædicare videbitis. Turbauit aliquandiu Ecclesias vestras Stancarus, sed mihi credite, plus est periculi ab his qui se amicos nobis in eo impugnãdo simulãt, quàm ab eius aperta maledicetia. Non sumo mihi tantum, vt existimẽ me affirmare posse, quo animo quisque doceat: sed tamen nisi me multa & graues coniecturæ fallunt, plerique ex his qui nouas has de Trinitate quæstiones mouent, non tam Christi quàm suam gloriam querunt: & non ecclesiæ vtilitati, sed suo com modo student, atque vestra bonitate abutuntur. Nam vt olim pseudoapostoli

Corinthios, sic nonnulli horum vos quoque conantur in seruitutem redigere, extollunt sese ut vos exedant, & à vobis accipiant. Quare, Magnifici Domini & Fratres honorandi, euigilate, & in tempore horum insidus occurrите: ac vos quidem, quibus docendi munus commissum est, non patiamini vos seduci horum hominum astutiis, ut aliquid nouitatis studio à veritate simplicis doctrinæ recedatis: vos etiam, Magnifici domini patroni ecclesiarum, ne faciatis ecclesias vestras asylum ambitiosorum & contentiosorum hominum, qui religionis titulo non tantum optime institutas ecclesias, verum etiam ipsam Christi gloriam, quam nos defendimus, impugnant: nolite quæso pati ut illi diutius piis illudant, & ita turpiter vestra bonitate & libertate abutantur. Agnosco quidem in me non esse auctoritatem aut doctrinam tantam, ut vos admonere aut vobis consilium dare possim: veruntamen ardore quodam & studio vestri accensus, non potui quàm Stancaro respondiſsem, vos non alterius periculi admonere, quod mihi priore grauius esse videtur: cupio autem, Fratres, hæc accipi eo animo quo à me scripta sunt, ut hæc omnia ad Dei gloriam, pacem & salutem ecclesiarum faciant, id quod vnice hæc scribendo spectauit. Deus gubernet vos Spiritu suo, errores eorumque auctores confundat, & exoptatam ecclesiis pacem restituat. Amen.

THESES THEOLOGICÆ D. IOH.  
HYPERII DE TRINITATE, QVOD FILIVS  
Patri coessentialis, coæternus, & per omnia coæqualis fit, pro-  
positæ à doctore Andrea Hyperio, in Academia Marpurgensi,  
28 Augusti, M. D. L X I I I I.

I **B**asiliius lib. 1. contra apologiam Eunomij, testis est, hæreticam Eunomium citò quàm plurimos seduxisse, quòd callidè fingeret, se cum orthodoxis planè idem de Filio Dei sentire: quum reuera quanuis iisdem vteretur verbis, sententiam tamen tueretur longè diuersissimam. Idem faciunt nunc quidam noui Ariani, vel potius Eunomiani, qui simulant se nobiscum cõfiteri, Filium Dei verum Deum, de Deo vero: cõgerunt interim vndecumque possunt arma & argumenta, quibus Patre inferiorem, & nullo modo æqualem demonstrant.

2 Atqui obsistunt eis plures Scripturarum loci, apertissimè testantes, Filium Dei verum & perfectum Deum, Patri cùm essentia, tum potentia ac dignitate

dignitate per omnia parem, & æqualem existere.

3 Ante omnia verum esse oportet, quod generatim & simpliciter de Filio dicitur, Quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, Philipp. 2. Quum etiam ubicunque Filius se appellat Filium Dei, & suum Patrem Deum, ibi se Deo Patri æqualem asseuerat, ut Ioan. 5.

4 Quod autem Filius sit Patri ὁμοούσιος, suis ipse confirmat verbis, dicens, Ego & Pater unum sumus, Ioan. 10. Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, Ioan. 17. Qui videt me, videt & Patrem. Credite mihi, quòd ego in Patre sum, & Pater in me, Ioan. 14.

5 De Patris & Filij in potentia æqualitate. Sicut Pater meus ad hoc usque tempus operatur, & ego operor. Et quæcunque Pater fecerit, hæc itidem & Filius facit. Item, Sicut Pater suscitatur mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat. Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, sicut honorat Patrem. Ioan. 5. Iterum, Vos dicitis me blasphemare, quia dixerim, Filius Dei sum: si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si vero facio, & si mihi non creditis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quòd Pater in me est, & ego in eo.

6 Ad hæc, ratione principij, ordinis, siue gradus, vel quocunque alio modo non esse Patre inferiorem, ex his colligitur. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, Ioann. 1. Ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt: & ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, Coloss. 1. Aliquoties Filius ante Patrem collocatur, Ioann. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Galat. 1. Paulus Apostolus per Iesum Christum, & Deum Patrem. 2. Corinth. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit in omnibus vobis. 2. Thessal. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus & Deus, & Pater noster. Eodem spectant loci, qui significant, Filium sedere aut stare ad dextram Patris, Psalm. 110. Matth. 22. 26. Marc. 16. Luc. 23. Quid, quòd Actor. 2. 8. Nomen Christi Iesu in quo baptizabantur credentes, pro nomine Patris & Filij & Spiritus sancti ponitur?

7 Breviter quæcunque de Patre prædicantur, ad ipsius dignitatem extollendam, eadem exceptis proprietatibus, cuiusmodi sunt, generare, mittere, de Filio quoque rectè afferuntur.

8 Quamuis nec ipsæ proprietates ita accipi debent, ceu qui Patrem à Filio essentia, aut dignitate distinguant, quum tantum personas, & certas actiones unicuique personæ conuenientes, discernant.

9 Hæc autem omnia quum manifesta sint, nihil prodest Eunomianis quod ad minuendam Filij dignitatem, vocabula essentia, coessentialis, persona, relationis, Trinitatis, vnitatis, prorsus reiici cupiant. Causantur ea in Scripturis non haberi, & nuper à scholasticis & pontificiis doctoribus excogitata.

10 Neque id patrocinatur ipsorum causæ, quod docere conantur, solum Deum Patrem esse vnum verum Deum ab omnibus adorandum & inuocandum.

11 Falsa quoque est, quam obtrudere conatur hypothesi, seu regula: Vbi-  
cunque in scriptura Dei nomen absolutè, & absque adiecto ponitur, de solo Patre debere accipi.

12 Peræquè absurdum est, epitheton Vnius in solum Deum Patrem competere.

13 Sed neque illæ sententiæ idoneæ sunt ad probandum Filium esse inferiorem Patre, in quibus particula, Ex, A, De, In, Per, aliquid secundum diuinam naturam à Filio minus vel humiliter, quàm in Patre, videntur notare.

14 Horrenda porro illorum blasphemia est, qui quo soli Patri supremam asserant dignitatem, Filium, vel Spiritum sanctum debere inuocari pernegat.

15 Facile insuper intelligimus, eodem illa spectare quæ contendunt, Spiritum sanctum non æqualiter ex Patre & Filio, sed tantum ex Patre per Filium procedere.

16 Nos proinde secundum locos Scripturarum antè recitatos, & tria symbola, Apostolicum, Nicenum, Athanasianum, tum Scripturis consentientia credimus, & confitemur in vna essentia diuina tres esse personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, coessentialis, coæternas, & per omnia æquales.

28. Augusti habita disputatio Marpurgi.

DE DEO, CONTRA NOVOS ARIANOS NUPER IN POLONIA EXORTOS, LIBER secundus, eorundem refutationem continens, per D. Ioannem VVigandum.



*N* omnibus hæreticis tres insignes & tetra nota, quasi stigmata quædam apparere solent. Primum, detestanda perplexitas rerum nouarum. Deinde horribilis blasphemia. Tertio effrenis maledicentia. Fontes verò præstigiæ illarum sunt, leuis ambitio, & vindicta cupiditas, interdum etiam crassa & affectata propemodum inscientia. Sic noui Ariani, qui in Polonia iam recens exorti sunt, & quorum sese  
capus

capite & ducem profutetur quidam Gregorius Pauli, Minister Cracouiensis, edita monstrosa tabula & Turri Babel, ex putrida ambitione veluti Scarabæi ex asinis mortuis pullulant. Nam Luthero vix minimam partem reuelationis & destructionis Antichristi relinquunt, nempe superioris tantum tecti in edificio Antichristiano denudationem. At sibimetipsis isti spiritus arrogant Antichristi excisionem & extirpationem ab imis vsque fundamentis. Gloriantur sibi longè plura à Deo esse data, quàm Luthero aut aliis. In hæresi verò tradenda, tam sunt intricati, obscuri, variabiles, vt magna attentione adhibita, diuinare vix queas quidnam asseuerare conentur. In blasphemis porrò effutiendis, planè effrontes sunt. Maledicta quoque adeo cumulata & liuidè effundunt, vt existimes eos meris viperinis linguis pungere.

Tres autem habent isti recentes Ariani hypotheses, sicuti ex tabula ipsorum monstrosa, ex Turri Babel, quam conflant, & ex epistola ad Tigurinos scripta, & ex reliquis ipsorum libris, colligitur.

## I.

Tres esse, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sed non esse tres personas.

## II.

Vnam esse Naturam seu Deitatem, communem tribus illis, sed non esse vnã Essentiam.

## III.

Vnum esse Deum, sed tantum Patrem dici vnicum & verum Deum, Filium verò & Spiritum sanctum non dici vnicum illum Deum.

Hinc postea nascuntur ipsi & alix quædam locutiones. Esi enim fatentur, Filium Dei esse Deum ex Deo genitum, tamen nusquam dicunt, Vnicum illum Deum, esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & Spiritum sanctum quidem nusquam Deum nominant. Hæc non obscure portendunt, quoniam isti præstigiatores contendunt.

## DE PRIMA HYPOTHESI.

Dicunt esse tres, eosque nominant Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sed hosce contendunt non esse personas.

## RATIO ISTORVM ARIANORVM HÆC EST.

Quod scriptura non docet, non est asseuerandum.

Sed in sacris literis nusquam leguntur hæc verba, esse tres personas: sed tantum ista, Tres sunt, qui testimonium perhibent, I. Iohan. 5.

Ergo non sunt tres personæ.

Ista quidem prima fronte apparent, quasi ex λογισμα̃ια nascantur, ve-  
k.iii.



rùm longè ulterius isti Ariani procedunt. Nam cum ipsum Patrem, unicum ac verum duntaxat vocent Deum, non item Filium, neque Spiritum sanctum unà cum Patre: ideo res etiã ipsas, quæ de personis istis traduntur, impugnant, sicut paulò post annotabimus. Sed ad argumentum respondeo.

Maiores loquitur de rebus: Minor verò de verbis: Ideo sunt quatuor termini. Ad res enim eius doctrinæ, quam de sua essentia & voluntate Deus revelavit, nos alligati sumus. Gal. 1. Si quis adiud Evangelium docuerit, id est, doctrinam pugnantem cum hoc unico fundamento, sit Anathema. De verbis verò dicitur, ut sint analogæ fidei, Ro. 12. Nam ad institutionem rudiorum, & ad confutationem præstigiatorum, licitum est aptis & intelligibilibus verbis ac sententiis uti, modò istæ loquutiones non mutant res ipsas in sacris literis præscriptas & traditas.

Ad Minorem: Rectè ac verè dicitur, istos tres esse tres personas. Rationes sunt istæ:

1. Quia vocabulum Persona, declarat quidnam sint isti tres, nempe non umbra, non somnia, aut cogitationes solummodo hominum inanes & evanidæ, sed viæ quædam substantiæ. Nam RES, est generale vocabulum. Iam verò res dividi oportet in species quasdam suas, id quod etiam ipsa ratio dicat.

2. Quia sacra litera clarè docent, istos tres, nempe Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse res viuas, & subsistentes, & distinctas. Nam de Patre simul & de Filio dicitur, Tu es Filius Dei viventis. Ergo Pater est res vivens ac subsistens: Filius quoque est vivus Filius viventis Patris. Nam quando Petrus inquit, Tu es Filius Dei, perinde est ac si dixisset, Tu existis Filius Dei, tu es quiddam *ὄντος* *ἀπο* *θεοῦ*, quod est Filius Dei. Non es umbra Dei, nõ cogitatio evanescens, sed existens Filius Dei. Pater genuit Filium, ergo Pater est quiddam existens. Filius genitus à Patre, non est somnium Patris, sed tale *ὄντος* *ἀπο* *θεοῦ*, quod mittitur in mundum, induit carnem humanam, redimit genus humanum. Spiritus sanctus specie columbæ descendit, arguit & docet mundum. Ergo Spiritus sanctus est existens quiddam, vivum & efficax, neque est figmentum quoddam, sine subsistentia quadam.

Sed Persona in hac doctrina nihil aliud significat, quàm substantiam individuum, intelligentem, incommunicabilem. Pater enim non est Filius, neque Spiritus sanctus: & Filius non est Pater, nec Spiritus sanctus: denique Spiritus sanctus non est Pater nec Filius, sed sunt tres res verè subsistentes. Huc pertinent & reliquæ actiones trium istarum personarum, quæ  
*idein*

idem euincunt. Proinde vocabulum Personæ non mutat rem ipsam, verum cum ipsa re verè ac propriè congruit.

3. Quia propter captum rudiorum, licet vti vocabulis notis & receptis, cum rebus ipsis tamen, vti dictum est, congruentibus, ne homines sibi talia fingant, quæ sunt contra scripturam. Sed vocabulum Personæ vel Substantiæ, notum est hominibus in Ecclesia CHRISTI ex longo & approbato usu, & congruit cum rebus traditis in verbo Dei. Ergo sic rectè loquuntur Ecclesiæ Doctores.

4. Quia ad confutandos hereticos licitum est vti vocabulis, quæ rebus ipsis conueniunt. Ecclesia igitur vocabulum Personæ recepit & usurpauit, quando aduersus Simonianos, Arium, Sabellium, Samosatenum, & similes præstigiatores, confundentes personas, vel alioqui eas abolentes, vera doctrina in verbo Dei tradita, fuit propugnanda. Sicut rectè Augustinus inquit: Licuit loquendi & disputandi NECESSITATE dicere, tres esse personas, non quia scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit. Græci dixerunt initio tres esse hypostasies, id est, substantias: verum postea imitati sunt Latinos, nihil de rebus ipsis mutant, licet verba quædam variarent.

Debebant igitur noui Ariani primùm ostendere, quòd vocabulum Personæ non congrueret rebus istis diuinis, in verbo Dei traditis, priusquam illud exploderent tanta austeritate & vehementia.

Deinde debebant prius monstrare conuenientius vocabulum, quàm illud quod receptum & vsitatum est in Ecclesia Dei multis iam seculis, abolerent.

Tertiò, si qui sceleratè abuterentur vocabulo Personæ, vt Seruetus & alii, non debebat id Ecclesiæ Christi rectè loquenti, esse fraudi.

Quartò, propter vocabulorum discrepantium, quæ quidem non sunt à rebus ipsis aliena, non est ipsa doctrina funditus conuellenda aut condemnanda. Nam isti Ariani negant tres esse personas. Si iam de vocabulo tantùm disceptant, cur doctrinam abiciunt?

Cum igitur negent esse tres personas, id est, res subsistentes, viuas, efficaces, non confusas, suum errorem produnt, quòd à doctrina Verbi diuini, quam rectè proficitur & tuetur Ecclesia Christi, ab Antichristi delirüs repurgata, turpiter & manifestè deficiant. Explicent igitur se clariùs, cur negent tres *ὡς ἄνθρωποι* siue personas? Et dicant planè & dilucidè, quidnam sint illi tres, cum personæ non sint? Non enim satis est dicere, quòd hi tres sint Pater, Filius & Spiritus sanctus. Queritur enim quales sint res, an sint

umbra tantum, vel cogitationes quadam, an verò substantiæ? Ineptum est vociferari, sunt tres & semper tres, nec definire quidnam sint. Si negas personas esse tres, simul nega esse tres res.

Neque nuper adeò hoc vocabulum vsurpari cœptum est in Ecclesia Christi. Nam antiquissimi Ecclesiæ doctores, & substantiæ & personæ nomine vsi sunt. Vt Ignatius ad Magnesianos de Filio inquit, quòd sit *ὁσία γεννηθὴν* SUBSTANTIA genita. Loquitur enim de verbo substantiali. Tertullianus ad Praxeam inquit, Quæcunque substantia sermonis fuit, illam dico PERSONAM, & illi nomen Filii vindico: & dum Filium agnosco, secundum à Patre defendo. Item libro de Trinitate, Filium esse secundam personam post Patrem contendit. Adicit, inquit, Sumus, non sum, ut ostenderet per hoc quod dixit sumus, & Pater, duas esse personas. Cyprianus inquit, Diuinitas & humanitas in vnâ personam conuenerunt. Reliquorum doctorum testimonia in præsentia omitto, quia isti Ariani noui eam ob causam eos repudiant, quia cõtra Arium, suum parentem, præclare & fideliter ex verbo Dei decertarunt, & veritatem vindicarunt: id quod obseruatione dignissimum est.

DE SECVNDA HYPOTHESI.

Vnam esse NATVRAM seu DEITATEM, communem tribus illis, sed non esse vnâ ESSENTIAM illorum trium, inquit noui Ariani.

Si rationes inquiras istius paradoxici, nullam aliam inuenies, quàm quòd in sacris literis non extant illæ syllabæ, ESSENTIA vna. Ergo simpliciter & superstitiosè decernunt, id esse Antichristi dogma.

Sed rectè & verè dicitur, vnâ esse diuinam essentiam, propter hæc rationes.

I. Quia etiamsi hæc literæ, ESSENTIA, in sacra Scriptura non inueniuntur, tamen res ipsæ, quæ hoc vocabulo in Ecclesia Christi exprimuntur, sunt in sacris literis comprehensæ & traditæ. Nam sæpius repetitur hæc oratio, Ego sum Deus tuus, Dominus Deus tuus Vnus est, &c. Hæc dicta testantur, Deum existere. Ideo res sunt in verbo Dei planæ, Deum esse quiddam existens. Existentia autem & Essentia Dei, idem sunt. Mutanda igitur forent ista verba, Deus est, in aliam formam, ut Deus fingitur esse, seu Deus est somnium hominum, est inane nomen, sicut Plinius ferè nugatur, &c. si non Essentia quadam, ut sic dicam, existeret.

Sic dicitur Psalmo 93. A seculo tu es. Item, prima Iohann. quarto: Sicut ille est, & nos sumus. I. Corinth. 8. Scimus, quòd Idolum est NIHIL in mundo, & quòd nullus EST Deus nisi vnus. In hoc dicto. opponuntur sibi inui-

cem, Idola & Deus. Deinde proprietates discernuntur. Idola sunt NIHIL, hoc est, nō sunt essentia quaedam viua, omnipotentes. Deus verò EST vnus, id est, non est somnium humanum, vt idola, sed vera, viua, existens essentia.

2. Quia equipollentes loquutiones, in sacris literis extant. Nam proprium illud Dei nomen Iehoua, quod creaturis, quemadmodum alia appellationes Dei, nunquam adscribitur, ab esse seu essentia est deductum. significat igitur Iehoua illum Deum, qui verè existit, seu qui est essentia quaedam aeterna. Neque est figmentum quoddam hominum, vt apud gentes, Fortuna, Pluto, Gratia, &c. Item, Exod. 3. Deus ipsi Mosi suum nomen manifestat, hisce verbis, Sum qui sum. Sic dices ad filios Israel, Sum misit me ad vos. Idem verò est, ac si dixisset, Ipsa essentia, id est, in Deus, qui existit semper, me misit.

3. Quia Ecclesia vetustissima sic est loquuta, vt Tertullianus aduersus Praxeam, vnus substantia, & vnus status & potestatis, quia vnus est Deus. Autor symboli in Cypriano dicit, Deum quum audis, substantiā intellige. Item Martialis ad Burdegalenses, Vnius voluntatis, vnus essentia. Quando enim de vnitae Dei loquuti sunt veteres, Substantia & Essentia vocabulis indifferenter vsi sunt. Reliquorū testimonia nō adscribo, quia passim sunt obuia.

4. Quia Natura, Deitas & essentia, in hoc quidē loco de Deo, & in hoc cardine nihil differunt. Sic Nazianzenus inquit, Deus, quid tandem in sua Natura & essentia sit, hoc hominum nemo nouerit vnquam, sed quod sit, hoc nemo nō inuenierit. Itā quia isti noui Ariani fatentur, vnā esse Naturam seu Deitatem, fateantur simul necesse est, vnā esse essentiam. Si repudiant Essentia vocabulū, quia in scriptura non sint ista syllabae, primum eadem ratione repudient & sua vocabula. Nam Naturam esse vnā, de Deo nusquam dicunt sacrae literae, hoc est, syllabas istas non habent, licet res ipsis tradant. Ita suis ipsorum iaculis semetipsos configunt Ariani. Deinde probent vocabulum Essentia, non conuenire ipsis rebus, quas de Deo sacra scriptura profert atque affirmat. Tertio perspicue & valide demonstrent, Naturae vocabulum esse significantius & intelligibilius, quā Essentia.

5. Quia absurdissima sententia ex ipsorum negatione nascitur. Cū enim noui isti Ariani essentiam Dei negent, necesse est, ipsos Naturam seu deitatem absque essentia comminisci & tradere. Quo quidē portento quid portentosius dici potest? Haec autem re ipsa tradit, verum inuolūtè & perplexè, quia ubi se magis euoluerint, monstrum hoc horrendum lucidius apparebit.

## DE TERTIA HYPOTHESI

Vnum esse Deum, tali quidem pacto, vt tantum Pater dicatur vnus &

verus Deus: Filiū verò & Spiritū sanctum non dici unicum & verū Deum  
 Mirum sanè est, quòd hoc relinquunt isti noui Ariani, unicum nempe esse Deum. Negant enim tres esse personas, negant essentiam vnā esse. Quid igitur de Deo retinent? Vnum Deum faciunt, qui non sit tres personæ, hoc est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, neque sit vnica essentia. Interea tamen contendunt esse tres, & esse vnā Naturam seu Deitatem. Nec volunt videri λογισμαίαν quādam, sed necessariam potiùs pugnam de rebus ipsis, ad doctrinam de Deo pertinentibus, suscepisse.

Sed non solum Patrem esse unicum & verum Deum, verum tres istas personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse unicum & verum Deum, ex immotis rationibus perspicuum est.

1. Quia hoc proprium, Deum esse, non tantū Patri, sed etiam Filio, & Spiritui sancto, in sacris literis tribuitur. De Patre dicitur, 2. Cor. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi. De Filio, Iohan. 1. Verbum erat Deus. Iohan. 20. Dominus meus & Deus meus. Rom. 9. Ex quibus est Christus secundū carnē, qui est super omnia Deus benedictus in secula. De Spiritu sancto, Idē verò est Deus (loquitur de Spiritu sancto) qui operatur omnia in omnibus.

Sed non sunt tres Dij, verum vnicus tantum & verus Deus. Ergo hi tres Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt vnicus & verus Deus. Pater cum sit Deus, non est peculiariter aut solus Deus: Filius cum sit Deus, non est solus Deus: sic Spiritus sanctus cum sit Deus, non est solus Deus, sed hi tres sunt vnus Deus. Ratio huius consequentiæ est, quia sacra scriptura vtrumque dilucidè asseuerat, primū Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum sanctum esse Deum: deinde, non tamen tres esse Deos, sed unicum duntaxat Deum. Hæc autem fide accipienda, non ratione humana æstimanda sunt.

2. Quia in Veteri Testamento, & crebrò etiam in Nouo, non distinctis personis, dicitur Vnum esse Deum: vt Deuter. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Esa. quadragesimo quarto. Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus. Marci 12. Vnus est Deus, & non est alius præter eum. 1. Corinth. 8. Nullus est Deus, nisi vnus, &c.

In hisce sententiis verus Deus designatur, sicuti se patefecit. Sed patefecit se in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto.

Ergo istæ loquutiones de vno Deo, synecdochicè includunt tres illas quas dixi personas. Ille est, in quā, vnicus Deus, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Maxima enim impietas est asseuerare, Filium vel Spiritum sanctum non includi in hoc dicto, Deus tuus vnus est. Deut. 6.

3. Quia Iohannes clarissimè inquit 1. Epist. cap. 5. Et hi tres **VNUM** sunt. Tres quidem numerat, Patrem,  $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon\upsilon$  & Spiritum sanctum. Vnum verò esse pronunciat. Porro vnum esse, & vnum Deum esse, in hoc quidè articulo nihil differunt, quia scriptura docet vnicum esse Deum.

4. Quia Christus inquit, Ego & Pater vnum sumus, Iohan. 10. Personas quidem distinguit, quando inquit Sumus: sed quum inquit, Vnum sumus, se cum Patre vnicum esse Deum affirmat. Neque verò Spiritus sanctus excluditur, quia in presenti loco Christus hunc scopum sibi præfixum habebat, vt declararet quid ipsemet esset. Sic Iohan. 14. inquit, sese in Patre esse, id est, coessentialem esse Patri.

5. Quia non tantum in vno opere omnium amplissimo, nempe in regeneratione hominis, cõiunguntur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tâquam omnipotente: sed etiam ibi vno nomine copulantur, sicut inquit Christus Matt. 28. Baptisantes eos **IN NOMINE** Patris, & Filii, & Spiritus sancti. **IN** Nomine autem, non tantum significat ex præcepto & efficacia communi istorum trium, sed etiam in cognitionem & fidem in hunc vnicũ Deũ, qui in primo decalogi præcepto inquit: Non habebis Deos alienos. Habes igitur hic tres, nimirum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, sed vnicum nomen, in testimonium luculentissimum quòd vnus sit Deus.

6. Quia vnica est Deitas, sicut vnus est Deus, sine omni dubitatione.

Sed isti noui Ariani ipsimet fatentur vnã esse Deitatem, communem istis tribus, Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Ergo non tantum Pater habet illam Deitatem, neque solus Deus est, sed Pater, Filius & Spiritus sanctus, est vnicus & verus ille Deus, quem sacre literæ proponunt. Suo ipsius igitur gladio sese ingulant isti amentes Ariani.

7. Quia Filius est genitus à Patre, & eam ob causam coessentialis Patri. Nam Filius, vti dictum est, in sacris etiam literis vocatur & est Deus.

Ergo Filius cum Patre, est vnicus & verus ille Deus.

8. Quia Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Sed Spiritus sanctus nõ ita procedit ex Patre & Filio, tanquã spiratio ex nostris pectoribus, quæ est tantum ardens halitus, amorem seu affectus ex corde effundens, & mox iterũ euanesceus, verum est Deus, 1. Corin. 12. & est coessentialis Patri & Filio.

Ergo Spiritus sanctus cũ Patre & Filio, est vnicus & verus ille Deus, de quo inquit Moses Deu. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.

9. Quia si Filius & Spiritus sanctus, non sunt vnicus Deus cum Patre, tum necesse est plures esse Deos. Nam scriptura vocat Filium Deũ, & eodem

modo Spiritum sanctum appellat Deum, quemadmodum etiam opera diuina, & omnipotentia propria, utrisque attribuuntur. In quascunque igitur species sese vertant isti Chamaleontes, necesse est ipsos tres Deos asserere.

Vel si Filius & Spiritus sanctus non sunt reuera vnicus & verus Deus cum Patre, tum necesse est ipsos vocem, Deus, quæ eis adscribitur, aliter interpretari: id quod audiemus & iudicabimus ex sacris literis. Sequetur autem, si vnicus & verus Deus tantum est Pater, & non Filius & Spiritus sanctus simul, tum Filius non est reuera Deus: item Spiritus sanctus non est reuera Deus. Hoc pacto nomi isti Ariani ad veterem illum Animum recurrunt, ac veteres hereses cum contumelia Filii Dei & Spiritus sancti resuscitant.

FVNDAMENTORVM ARIANORVM CONFVTATIO.

Iactis hisce fundamentis pro doctrina catholica, quod Pater, Filius & Spiritus sanctus, si vnicus & verus Deus, de quo etiam primum Decalogi præceptum inquit, Non habebis deos alienos: nunc istorum nouorum Ariano- rum fulcra exploremus, quibus stabiliunt hanc suam aulam, seu potius ollam testaceam, quod non Filius, non Spiritus sanctus, sed solus Pater sit vnicus & verus Deus.

Argumenta, quæ nascuntur ex dictis scripturæ malè detortis.

I

Inaudita Prophetis, Christo, & Apostolis asseuerare, impium est.

Sed esse vnicum Deum, & tamen esse tres personas, est inauditum Prophe- tis, Christo, & Apostolis.

Ergo hæc doctrina est impia. In tabula & epistola ad Tigurinos.

R. Minor est falsissima. Ecquid autem frontis isti Ariani habent? Nam vtrumque, uti demonstrauimus, sacra scriptura tradit, & Vnicum duntaxat esse Deum, Deut. 6. Et, tres esse personas, Patrem, Filium & Spiritum san- ctum, Matt. 28. Liquidissimè etiam Ioannes inquit, Tres sunt in calo, qui testi- monium perhibent, Pater, λόγος & Spiritus sanctus (Audis tres personas?) & sequitur, Et hi TRES VNVM sunt. Sed exagitant isti Ariani loquutio- nem Ecclesiæ, Vnum esse Deum, & tamen trinum: quæ quidem oratio non discrepat à verbis Euangelistæ Iohannis, qui inquit, Hi tres vnum sunt.

2.

Christus non ita loquitur, quia tantum inuocat Deum Patrem, & nos e- tiam iubet Patrem inuocare.

Ergo

Ergo vnicus est Deus Pater.

R. Est fallacia compositionis & diuisionis, qua incautis hominibus isti prestigiatores imponunt. Quando enim de aliquo fidei articulo dicendum est, non tantum vna aliqua sententiola excerpenda est ex sacris literis, sed integer contextus, & quasi corpus illius doctrinae inspicere & considerari debet. Constat autem Christum discretè docuisse, vnum esse Deum, Matthæi quarto, decimonono, 22. Marci 12. Deinde etiam perspicuè docuisse de tribus personis, Patre, Filio & Spiritu sancto, Matthæi 28. Iohan. 14. 15. & alius in locis. Ergo verum & vnicum Deum, non vocat aut docet alium, quam qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus, in cuius nomine omnes sunt baptizandi. Quòd verò Patrem interdum solum nominat Deum, non est exclusiua oratio, quasi Pater solus sit Deus, excluso Filio & Spiritu sancto. An non legerūt etiā ista, quòd  $\alpha\theta\epsilon\omicron\varsigma$  sit Deus, Iohan. 1. Quòd Christus sit Dominus & Deus, Iohan. 20. Præterea hic se produnt Ariani, quòd negant Filium esse vnum illum Deum, coessentialē & coomnipotentē cum Patre & Spiritu sancto. Item quòd negant Spiritum sanctum esse Deum. Ista monstra isti Spiritus fouent & parturiunt.

## III.

In verbis Baptismi Christus non inquit, Baptisate in Deum, cuius est vna essentia & tres personæ.

Ergo non est Deus talis.

R. Eodem pertinet hæc argumentatio. Nam res sunt eadem. Quem enim Deum Christus ibi distinctis personis nominat, Ecclesia dicit esse vñt Deum, seu vnā essentiam, quæ quidem essentia sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Debebant igitur isti Ariani probare euidenter, loquutionem Ecclesie, à rebus & à doctrina Christi dissentire. Hoc est  $\alpha\pi\omega\theta\epsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma$ . Nam verborum variatio non semper mutat rem ipsam. Imò ipsi met alius verbis utuntur, quam in sacris literis extant, vt suam opinionem declarent.

## IIII.

1. Corinth. 8. dicitur, Nobis vnus est Deus Pater, ex quo omnia. Vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia. Vnus Spiritus sanctus omnia sanctificans, Ephes. 4. Vnus Deus & Pater omnium.

Ergo non rectè dicitur, Pater, Filius & Spiritus sanctus, sunt vnicus & verus Deus.

R. Argumentum ex infcitia phrasie, vel ex crassa cecitate oritur. Nam in hisce testimoniis non excluduntur Filius & Spiritus sanctus, quò minus & hæ personæ sint vnus & verus Deus cum Patre. Nam Iohannes discretè in-



quit, *Hi tres unum sunt. Deinde non attendunt isti vertiginosi spiritus, vocabulum Dei, 1. Cor. 8. primum generaliter poni, deinde per exegesis seu specialem enumerationem, personas subiici: quæ quidem phrasin sæpius in scriptis Paulinis occurrit, præsertim verò in salutationibus, ut, Gratia vobis à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Hic vocabulum Dei non tantum Patri, sed & Christo conuenit, sicut alia testimonia id luculenter probant. Tertiò quando Christus vocatur Dominus, idem est, ac si Deus diceretur. Nam vocabulum Iehoua, quod soli Deo proprium est, Græci verterunt per  $\omega\pi\omicron\varsigma$ . Sicut igitur non excluditur Pater in hoc membro orationis, Vnus Dominus Iesus Christus, quò minus & ipse Pater sit Iehoua seu Dominus, sicut Filius: ita etiam in priori parte, Vnus est Deus Pater, non excluditur Filius, quò minus & ipse sit Vnicus ille & verus Deus, cum Patre & Spiritu sancto.*

*Esa. 44. dicitur: Ego sum primus & nouissimus, & præter me nõ est Deus. Iohannes de Christo ista profert, Ego sum primus & nouissimus, A &  $\Omega$ , principium & finis. Si quis hinc inferret, Ergo solus Filius Dei est vnicus Deus, nõ Pater, non Spiritus sanctus, nõne iudicaretur insanire? Cum igitur scriptura dicat, Filium esse primum & nouissimum, hoc est, vnicum Deum. Item dicat de Patre, eum esse vnicum Deum. Insuper dicat etiam de Spiritu sancto, eum esse vnicum Deum. Ergo manifestum est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse vnicum & verum Deum, nõ Patrem solum, & phrasin, Audi Israel, Dominus Deus tuus, synecdochicè de Patre, Filio, & Spiritu sancto, accipiendam esse. Sic & hanc, Vnus Deus & Pater omnium.*

v.

*Philippus non cupiebat nosse essentiam vel trinum, sed Deum Patrem.*

*Ergo Filius & Spiritus sanctus, non sunt vnicus Deus cum Patre. Sed Pater est vnicus & verus Deus duntaxat.*

*R. Quis non affectatam maliciam in hac argumentatione deprehendit? Verba Essentiæ & Trinitatis in ea historia nõ exprimuntur. Ergo de rebus illis non fit in hisce Philippi verbis mentio. Qualis hæc quæso est consequentia? An non duo de eadem re, verbis dissimilibus loqui possunt? Deinde non somnium Patris, sed verum & existentem Patrem Christi oculis carnalibus intueri cupiebat Philippus, Ergo essentiam Patris cernere desiderabat. Porro si non existit, si non est essentia Pater celestis, Ergo NIHIL est. Deinde non cupiebat Philippus alium Deum videre, quam eum, quem postea Christus in verbis Baptismi nominat, nempe qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, licet tantum Patrem exoptabat sibi monstrari. Atqui Pater, Filius & Spiritus san-*

ctus

Etus sunt tres, etiam istorum Arianorum confessione. Ergo illum Deum volebat intueri Philippus, qui esset trinus in personis, sicut tres distinctas & viuas res Christus saepe nominat.

## VI.

In Symbolo dicitur, Credo in Deū Patrem, & in IESVM CHRISTM, & in Spiritum sanctum.

Ergo Pater est vnicus DEVS, non Filius, non Spiritus sanctus. Nam vocabulum, Deus, tantum Patri apponitur.

R. Nomen Dei, in huius professionis initio, collectiue, more Scripturæ sacræ usurpatur. Deinde subiicitur euolutio seu enumeratio specierum. Ac sacrilegium est infandum & intolerandum, Filium & Spiritum sanctum, in Symbolo priuare isthoc epitheto, quasi ipsis quoque non conueniat nomen Dei.

## VII.

Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Ergo solus Pater est solus Deus, Iesus Christus autē non est ille solus Deus cum Patre & Spiritu sancto.

R. Hoc ipso dicto Ariani veteres istorum recentium patres, ad suam rabiem abusi sunt, vt ostenderent Filium Dei non esse Deum. Est autem mera calumnia & deprauatio dicti Christi. Est enim diabolus mendax, & veracissimi Christi verba impudentissimè corrumpit atque detorquet. Nam Christus clarissimè inquit, ad æternam vitam consequendam pertinere, vt homines vtrumque cognoscant, tam Filium quàm Patrem. Ergo in opere hoc, quod soli Deo competit, nempe in donatione vitæ æternæ, copulantur Pater & Filius. Hinc argumentum textitur,

Solius Dei est vitam æternam dare.

Sed Pater & Filius largiuntur vitam æternam notitia sui, seu fide in vtrumque fixa & collocata, teste Christo.

Ergo Pater & Filius sunt solus ille, seu vnicus & verus Deus. Non autem excluditur Spiritus sanctus: nam sacræ literæ saepe tantum Patris & Filij meminerunt.

Deinde luculenter coniunguntur in hoc dicto, Pater & Filius per coniunctionem ET, quæ quidem coniunctio clarissimè docet, tum Patrem, tum Filium esse SOLVM illum Deum verum, qui est agnoscendus & colendus. Non enim hîc dicit Christus, Vt te Patrem cognoscant solum esse verum & vnicum

Deum, Filium verò tuum non. Neque inquit, Iesum Christum esse inferiorem Deum, ac nò pertinere ad VNITATEM Deitatis. Sed verba plana sunt, Vt TE & IESVM CHRISTVM, què misisti, cognoscant SOLVM DEVM VERVM. Prudentissimè igitur Sapiètia Dei ista verba protulit. Verba enim TE & QUEM misisti Iesum Christum, sunt subiecta in hac propositione siue oratione, SOLVM Deum verum, sunt predicata de utroque subiecto: id quod reliqua scriptura declarat. Primum enim disertissimè Filium tam appellat Deum, quam Patrem. Deinde generalia dicta vnitatem Dei adstruunt, non excludentia, sed includentia potius Patrem, Filium & Spiritum sanctum. In hac expositione libenter sequor Augustinum, qui hac ratione istam orationem intelligit atque distribuit, quanquam non ignorem, alios nonnullos existimare, Augustini syntaxin nimis esse coactam, præcipuè propter articulum τὸν. Verùm explanatio Augustini sacris literis est consentanea. Cùm autem verba Augustini hanc doctrinam illustrent, non pigeat ea legere. Sic inquit: Ordo verborum est, Vt te & quem misisti Iesum Christum, cognoscant solum verum Deum. Consequenter enim & Spiritus sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filij, tanquã charitas substantialis & cõsubstantialis amborum, quoniam non duo Dij Pater & Filius, nec tres Dij, Pater, & Filius & Spiritus sanctus: sed ipsa Trinitas vnus solus verus Deus: nec idem tamen Pater qui Filius, nec idem Filius qui Pater, nec idem Spiritus sanctus, qui Pater & Filius, quoniam tres sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, sed ipsa Trinitas vnus est Deus. Vtitata & hæc responsio est, Ista vocabula, SOLVM verum Deum, opponi Ethnicis & commentitijs Dijs, qui tantum sunt hominum figmenta, nec sunt vnicus & verus Deus. Neque illam expositionem plane reuicimus, si dextrè accipiatur, Vt te Patrem cognoscant solum verum Deum, hoc est, non esse numen fictitium, vt Ethnicorum dij sunt, & quem misisti, ESSE Iesum Christum, hoc est, verum Messiam. Neque enim hoc pacto Filius Dei à Deitate excluditur. Nam mentio officij non tollit ipsam substantiam, vt omnes sani intelligunt.

## VIII.

Gratia & pax à Deo Patre & Domino Iesu Christo.

Ergo solus Pater est Deus, Filius autem nò est vnicus ille & verus Deus, licet & ipse Deus sit, vrpore Filij Dei.

R. Est calumnia sententiæ Paulinæ, & nota vertiginosi & maledici Spiritus. Nam sacra Scriptura, pro synonymis vsurpat ista duo vocabula, Deus & Dominus. Imò Dominus est ipsa vox Iehoua. Sed Iehoua appellatio solè

Deo

Deo in sacris literis adscribitur. Ergo tã vocat Paulus Iesum Christum Deum, quã Patrem, & quidem illum ipsum Deum, qui est vnicus & solus, scilicet iuxta declarationem sacra scriptura.

Argumenta, quæ ex ratiocinationibus quibusdam extruuntur.

## IX.

Qui non genuit, nec genitus est, nec procedit, non est verus Deus.

Sed vnus Deus in essentia, nec genuit, nec genitus est, nec procedit.

Ergo ille vnus Deus in essentia, non est verus Deus.

Minorem probant: Quia Sententiarij dicunt, essentiam non generare.

R. Minor est calumnia. Nam ita vnitas essentia asseritur, vt non separetur, neque excludatur personarum distinctio. Nam illa vnitas non est alius Deus, non aliud quiddam, quã Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Extra has tres personas nulla vnitas essentia imaginanda est, & extra hanc vnitatem, nulle tres personæ diuinitatis imaginandæ sunt. Causa eius rei est, Quod vtraque in verbo Dei sunt manifestata, nẽpe quod vnicus Deus existat, & quod nihilominus sint tres, Pater nimirum, Filius & Spiritus sanctus. Indistinctus est Deus, si vnitatem spectes. Distincti sunt Pater Filius, & Spiritus sanctus, si personas spectes. Imò ipsemet Ariani noui eadem proferunt, licet postea more hæreticorum, semetipsos rursus destruant. Nam tres inquit, esse vnus nature diuinæ: Natura autem diuina & essentia diuina, idem sunt: Ergo idem dicunt quod nos. Nam equipollet ista: Tres sunt, & isti tres sunt vnus nature diuinæ. Ac deinde nostra loquutio, Tres sunt personæ, & vna essentia diuina. Hæc ideo credimus & profiteamur, quia scriptura ea docet, licet ratio humana explicare hoc mysterium nequeat, quomodo Deus sit vnus, & tamen ille vnicus Deus sint tres, Pater nempe, Filius & Spiritus sanctus. Ille vnus Deus nullus est, si non est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Sic Pater, Filius & Spiritus sanctus non sunt, si non sunt vnus ille & verus Deus. Mentuntur igitur Ariani isti, quod talis à nobis constituatur essentia diuinæ vnitas, à qua personarum distinctio sit penitus explosa.

Probatio Minoris non ex perspicuo verbo Dei, sed ex Sententiarijs sumitur. Cùm autem hoc sit mysterium quoddam, ideò variant sententiæ. Nam aliqui vocem Essentia absolute, aliqui relatiuè accipiunt. Certũ autem ex verbo Dei est, Patrem genuisse Filium, & Filium esse genitum, & Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere. Quomodo autem id factum sit vel fiat, rationis captum excedit, eamque ob causam ea in parte sententiæ non congruunt.

Quando autem pii dicunt, Essentiam generare, respiciunt personarum distinctionem. Nam hoc argumentum planum est.

Filius Dei est genitus.

Filius Dei est essentia, est res viva, non est somnium aut phantasma. Item est Deus. Ista duæ propositiones ex verbo Dei sunt manifesta.

Ergo essentia etiam generat.

Spinositates quas ratio humana infert, & scrutatur istius mysterij modum, repudiamus: quia scriptum est, Mulier, id est, ratio caca in Ecclesia taceat. Reuelatis in Ecclesia Dei sumus cõtenti. Item, Qui scrutatur Maiestatem, opprimetur à gloria. Et sicut Augustinus inquit, Cælo tonante, rana taceant.

Quando autem alij defendunt istam sententiam, Essentiam non generare, respiciunt communionem & unitatem Deitatis seu naturæ: neque tamen eũt inficias, Patrem Filium generasse, Filium esse natum, & Spiritum sanctum procedere ab utroque, & hosce tres vnus esse naturæ diuinæ, seu vnicum & verum Deum. Vtrũ sententia iam in hac disputatione Scholasticorum, an essentia generet, sit planior, & minus reprehensioni obnoxia, candidi Lectores non difficile iudicant.

Improbè autem faciunt Ariani, quòd ob loquutionem de modo generandi, ipsam doctrinam de unitate Dei & tribus personis cõuellunt. Nam Ecclesie nostræ utrunque ex sacris literis palàm asserunt & profiteantur, vnicũ esse Deum, & non plures, Et tres esse personas, quæ sunt ille vnicus Deus, & non alius. Non excluditur unitas à personis, neque personæ ab unitate. Sicut enim rectè dicitur, Hi tres vnus sunt, ita etiam rectè dicitur, Vnus Deus est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ad hanc doctrinam ipsa ratio hominis allidit: sed verbo Dei firma fide acquiescendum est. Hac de speciosissimo nouorum Arianorum argumento dicta sufficiant.

X.

Qui non genuit, nec genitus est, non est Pater Christi, nec Filius Patris, nec Mediator.

Sed vnus Deus in essentia, non genuit, nec genitus est.

Ergo ille vnus Deus in essentia, nõ est Pater Christi, nec Filius Patris, nec Mediator.

Minor iterum incumbit isti fundamẽto, quia Scholastici dicant, Essentiam non generare.

R. Est idem argumentum cum præcedente, & procedit tantũ ex malignosa exagitatione loquutionis, qua vsi sunt Scholastici in explicatione generationis

rationis diuinæ, cuius quidem rei modum nemo hominum explicare poterit. Sicut præclare inquit Ambrosius, Licet scire quòd natus sit, non licet discutere, quomodo natus sit. Illud mihi negare non licet, hoc querere meum est.

Est igitur Minor mera calumnia: quia non asseritur talis Vnitas, seu talis vnus DEVS qui sit alius, quàm Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Sed profitemur Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, esse Vnicum & verum Deum, qui se certo verbo & patefactionibus declarauit, nec esse aliū. Iohan. 10. Christus inquit, Ego & Pater vnum sumus. Ait se vnum esse cum Patre, verum non exclusa Patris & Filij distinctione. Et perspicuè Ioannes inquit, Hi tres vnum sunt. Tres audis esse, & tamen hi tres vnum sunt. Non est vnitas absque tribus, & non sunt tres absque vnitate. Hæc non docet Arithmetica, non ratio in capite istorum Arianorum: sed verbum Dei, cui omnes tenentur acquiescere, & non scrutari, quomodo hæc sint possibilia. Nam rationi tuæ cæcæ nunquam erunt possibilia, fidei verò innitenti verbo diuino, certa & immobilia sunt. Simul etiam accuratè obseruetur, quòd & supra monui, vocabulum Essentia vsurpari aliàs absolutè, hoc est pro natura seu diuinitate: aliàs verò relatiuè, quando personæ considerantur. Has diuersas significationes isti noui Ariani, resque ipsas simul nefariè & petulanter confundunt.

## XI.

Qui vnum essentia, trinum personis profitentur Deum, nullum Deum profitentur.

Sed hoc vos facitis.

Ergo nullum Deum profitemini.

Ratio Maioris est, quia vnum fingitis Deum, qui non sit tres, & tres, qui non sint illa vnica essentia.

R. Maior nullam habet connexionem firmam. Imò mendacium est. Nam sacra litera docent, vnum esse Deum, & tamen esse tres, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Ideo iuxta verbum Dei, verum Deum docemus, inuocamus, & profitemur. Si verò Ariani isti iudicant, verba quibus vtitur Ecclesia, à rebus quas tradit sacra Scriptura dissidere, monstrent discrepantiam, & doceant meliores loquutiones.

## XII.

Quos Scriptura non appellat Deos, non sunt appellandi Dij.

Istos tres, Patrem nempe, Filium & Spiritum sanctum, scriptura nusquam

appellat tres Deos.

Ergo hi tres non sunt vnus Deus.

R. Plus in conclusionem ingeritur, quàm præmissis inest. Hòc sequitur, Ergo nò sunt tres Di: idque verum est. Atqui istos tres non esse vnicum illum & verum Deum, ex præmissis nò sequitur. Nam scriptura sacra cuilibet personæ attribuit istud genus, quòd sit Deus: non tamen tres esse Deos docet, sed vnicum duntaxat Deum, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus.

## XIII.

Vbi non est doctrina, quòd vnus sit Deus Pater, qui per Filium à peccatis nos redemit, ibi non est doctrina de misericordia & iusticia Dei.

Sed qui docent, Deum vnum essentia esse, non habent hæc veram de Deo doctrinam.

Ergo & hi de misericordia & iusticia Dei non possunt docere.

Minorem probant, quia nescitur, an ista essentia sit Pater vel mater.

R. Confundat os blasphemum Dominus. Minor est tetra calumnia: quia non docemus essentiam Dei, si vox Essentiæ absolute accipiat, pro Natura seu Diuinitate, in qua non sit Trinitas seu tres distinctæ personæ. Vel, vt loquitur Scriptura, Docemus vnicum esse Deum, qui sit Pater Filius & Spiritus sanctus, & non alius. Itaque vnicus ille Deus, quem Vetus ac Nouum Testamentum, omnesque orthodoxi docent & profitentur, est ille ipse Pater, qui genuit Filium: & est Filius, qui genitus est à Patre: & est Spiritus sanctus, qui à Patre & Filio procedit.

Si verò argumētum ad Iudæos & Turcas accommodaueris, locum sanè habebit. Nam etsi illi quoque vnum Deum profitentur, tamen pernegant eum vnicum esse Deum, qui sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ideo de Vnitate Dei non rectè sentiunt.

## XIII.

Si Deus vnus essentia non genuit, vana est redemptio, fides, inuocatio.

Sed vos Deum Vnum essentia, dicitis non genuisse.

Ergo non est redemptio, fides, inuocatio.

R. Maior non est firma. Nam dicere de essentia, non tollit Trinitatē personarum. Per calumniam igitur hanc loquutionem lacerant noui Ariani. Quando enim dicitur, Vna est essentia, Vnus Deus, non fit exclusio personarum ab hac Vnitate, seu Deitate. Nam tali modo est vnicus Deus, vt tamen sit Pater, Filius & Spiritus sanctus. Item, etsi sit vnicus tantum Deus, tamen personæ non sunt confusæ. Hic est articulus non rationis, sed fidei.

Ad Minorem. Naturam diuinam siue Deitatem, sicut & ipsi noni Ariani loquuntur, dicimus esse Vnam, communem illis tribus, Patri, Filio, & Spiritui sancto. Sed tres illi ita distinguuntur, vt sit Pater, sit Filius, sit Spiritus sanctus, qui tres sunt res existentes, nec sunt confundenda. Pater non est Filius, neque Filius Pater, neque Spiritus sanctus vel Pater, vel Filius. Nam scriptura sacra inquit, esse tres. Nihilominus isti tres, vt dictū est, nō sunt plures Dii, sed sunt vnicus & verus Deus, contra omnem Arithmeticam & ratiocinationem omnium hominum. Quia de Deo sentiendum & loquendum est, sicuti in Verbo certo est traditum & patefactum.

## XV.

Qui docet vnum esse Deum essentia, & trinitū in personis, conatur vnum & verum Deum Patrem, cum vnigenito eius Filio abolere.

Sed vos hoc facitis.

Ergo tantum nefas committitis.

R. Maior nullam habet connexionem, & falsissima est. Nascitur autem ex illa calumnia Arianorum, quemadmodum & pleraque alia argumenta, quod dicant scholastici, Essentiam non generare. Sed vsque ad fastidium hoc inculcandum est. Quando Ecclesia Christi vnitatem profiteretur, nō excludit tres personas: quando trinitatem docet, non excludit vnitatem. Verūm isti criminatores essentiam à tribus personis maliciose diuellunt, ac reuera diaboli artem imitantur, qui mutilata dicta Christo obiiciebat. Sic isti spiritus, tantū hanc partem arripiunt, Vna est Essentia diuina, quæ tamen concordat cum hac oratione, Vnus est Deus. Alterum verò, quod additur in Ecclesia orthodoxa, Tres esse, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, & hosce tres esse vnum, vt inquit Iohannes, seu vnum Deum: nam id vult Apostolus: id inquam isti Nebulones omittunt. Ita carpunt priorē partem eius doctrinae, & posteriozem, sine qua prior illa pars non existit, pratergre diuntur. De Scholasticorum autem sententia antea diximus.

## XVI.

Qui quatuor constituunt personas diuinitatis, impiè faciunt.

Sed qui vnicū dicunt esse Deum, & tamen tres personas, quatuor faciunt personas.

Ergo quatermitatem asseritis.

R. Minor est falsissima. Nam verbum Dei docet vnicū esse Deum, & hos tres, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse vnicū illum Deum, I. Iohan. 5. Itaque nō sunt quatuor persone, sed tres tantū persona, quæ tres



personæ sunt vnicius & verus Deus. In hac parte isti Ariani sacra scriptura bellum inferunt, & sine causa blasphemant. Nam Minor non habet vllam firmam ratiocinationem.

Similes ineptias gignunt, quando dicunt, Scriptura inquit, Tres sunt vnus. Ergo vnus Deus non est trinus. Obseruet Lector vertiginosos istos spiritus, contra manifestissimum textum insanientes, & blasphemata verba ex impuris palatis eructantes.

## XVII.

Sabellius ita docuit, genitorem, genitum & procedentem, esse Trinomium.

Ergo vos estis hæretici.

R. Vide quid faciat calunnia? Nō dicimus nomine tenus tantum esse tres, vt Sabellius insaniebat: sed Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse tres res existentes, non spectra quadam, non diuersum habitum, gestus aut representationem vnus duntaxat personæ, sed tamen istas tres res esse vnum Deum, non plures. Non quidem iuxta caliginosam cuiusquam hominis mentem, sed iuxta Verbum Dei, quod credendum est, licet omnis omnium creaturarum ratio, hoc mysterium diuinū, nempe **QVOMODO** Deus sit **Vnus**, & tamen tres sint personæ istius **Vnici** Dei, assequi & explicare nequeat.

## XVIII.

Patres, qui statim post Apostolos vixerunt, docuerunt **Vnum** Deum esse Patrem, non dixerunt **Filium** & **Spiritum sanctum** cum Patre esse illum **vnicum** Deum, aut **trinum** esse **Vnum**, &c.

Ergo vos erratis.

R. Nequiter & maliciose hosce Patres citatis. Nam Martialis ad Burdegalenses inquit, Sola trinitas in diuinitate **Vnitatis** seipsam nouit. Itē, Rursum trinitatē in **Vnitate** designauit. Item, Vobis **Vnus** & idem Deus, qui cuncta creauit, Pater: & **Vnus** & idem Dominus, per quem omnia facta sunt, Filius eius Iesus Christus: & **Vnus** idēque Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistūt. Et hæc in **PERSONIS** tria diuisa, in diuinitate **VNS** De<sup>o</sup> indiuisus est

Arnobius super Psal. 134. inquit: Ita Trinitatem in **vnā** Deitate coniungit, vt tres verē dicam esse personas, & **vnā** verē dicā esse substantiam. Epiphanius lib. 2. tomo. 1. Confitemur Trinitatem, **Vnitatem** in Trinitate, & Trinitatem in **Vnitate**, **Vnam** Deitatem Patris, Filii & Spiritus sancti.

## XIX.

Vbicunque sunt varix loquutiones de eadem re, ibi est error. Vestra loquutiones de Deo variant.

Ergo

Ergo erratis de Deo.

Minor probatur, quia dicitis, Vnum esse Deum essentia, & trinum personis. Item, In Deo esse distinctas personas. Item alius aliter vocabula Essentia & Substantia interpretatur.

R. Maior falsa est. Nam ubi verborum variatio non mutat res ipsas, ibi non est error. Eandem rem aliis verbis Prophetæ, aliis Christus, aliis Apostoli exponunt, & tamen congruunt in rebus, neque sunt hæretici.

Ad Minorem: In rebus est consensus, licet verba & declarationes interdum variant. Alius enim alio clarius loquitur: sic interpretationes alia sunt concinniores aliis. Attamen in unico quasi scopo collimant, nempe ut asserant vnum esse Deum, & Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse illum Vnicum Deum. Si qui verò hæc res peruertunt (id quod nefarie audent isti noui Ariani) illi sine omni dubitatione iudicandi sunt hæretici, præsertim si moniti pertinaciter in erroribus persistant.

XX.

Absurda non sunt asserenda.

Si Christus ideo vnus Deus est cum Patre, quia est vnus natura, vnus erit idem Christus cum Abrahamo patre suo, quia vnus natura est cum illo. Nota hæc verba.

Ideo Christus non est vnus Deus cum Patre.

R. Ecce hisce verbis isti spiritus, veluti ex opaca sua spelunca caput exerunt, atque declarant, sese caput Arii ex stygia palude iterum in hanc lucem proferre. Nam impudentissimo ore effutire non verentur, Christum non esse vnum Deum cum Patre. Sed cur ipse Christus inquit Iohan. 10. Ego & Pater vnum sumus? Cur dicit Iohan. 14. Pater in me est, & ego in Patre? Cur Thomas inquit, Dominus meus & Deus meus? Cur Iohannes docet, **HITRES**, nempe Pater, & Spiritus sanctus, vnum sunt?

Deinde ad Maiorem respondendum est. In rebus diuinis alia sunt absurda fidei, alia rationis. Absurda fidei sunt, quæ in sacris literis non sunt tradita. Ea verò vitanda & fugienda sunt. Absurda verò rationis, in sacris literis caueri nequeunt. Nam fidei articuli omnes, coram ratione hominum sunt absurdi, eamque ob causam credendi, non sapientia hominum æstimandi sunt.

Tertio ad Minorem: Amentes Ariani à rebus humanis ad diuinas argumentatur, in quibus est diuersissima ratio: id quod omnes sana mente prædidi norunt. Insuper rectissime sequitur, Christus est ex sanguine Abrahae procreatus, Ergo est verus homo, & habet carnem, sanguinem, animam, perinde

ut Pater Abraham, licet persona distincta sit, & non sit peccato originali aut actuali ex sese deprauatus, ut Abraham. Sic etiam optima & firmissima consequentia dicitur, Filius est genitus à Patre, Ergo Filius est Deus, est coessentialis Patri. Præterea nihil potest esse de essentia Patris, seu eiusdem nature, vel coessentialis Patri, quomocunque alicui libeat efferre, quod nõ su Deus.

## XXI.

Ordo est inter mittentem & missum.

Ergo non est Deus trinus.

R. Ab ordine ad essentiam nulla est firma consequentia. Nam ordo distinctus non tollit communem essentiam siue deitatem. Regula enim est, Alia dicta scriptura loquitur de essentia Dei, alia de ordine atque de officio. Hoc verò in loco disputatio est de Deitate siue de essentia Dei præcipue, non de ordine seu officio. Debeant igitur hæc allegari talia dicta, quæ proprie & perspicue de ipsa Essentia loquerentur.

## XXII.

Deus vult inuocari per Filium.

Ergo Deus non est trinus.

R. Nulla est connexio, estque impostura, secundum non causam ut causam. Nam dicta de inuocatione, non loquitur de ipsa essentia Dei: verum de officio. Sic autem se Deus reuelauit, quod solus Filius, non Pater, su factus homo & victima pro peccatis totius mundi. Constitutus est igitur hic propiciator generis humani, Mediator & Sacerdos, in cuius nomine preces sunt offerendæ. Licet tamen etiam ad ipsum Christum inuocationem dirigere, atque petere, ut propter suum sanguinem pro nobis effusum, nos clementer respiciat & saluet. Licet dicere, Iesu Christe Fili David, miserere mei. Item: Domine Iesu, suscipe spiritum meum, &c.

## XXIII.

Deus absolute acceptus, non generat, ut Sophista affirmant.

Sed non est Pater Deus, qui non generarit.

Ergo doctrina Sophistica euertit doctrinam de Deo.

R. Sunt quatuor termini, & fallacia in voce Deus. Maior enim de natura seu Deitate loquitur, Minor de personis. Ac necesse est in sacris literis obseruare, quæ dicta de ipsa Deitate, & quæ de personis distinctè loquantur: quam quidem regulam isti Ariani euertere non poterunt. Deinde in Maiori simpliciter hoc affirmatur, vnã esse deitatem communem tribus: & rudiores monentur, generationem sic in sacris literis esse reuelatam, ut ad perso-

nas referatur, nempe ad Patrem, qui generat solus, & ad Filium, qui natus est solus. Pater enim non est generatus, nec Spiritus sanctus est natus, qui habet suam proprietatem in procedendo ab utroque. Malitiosè igitur hanc loquutionem isti Ariani exagitant. Etsi autem Scholastici doctores quadam nimis subtiliter differunt, tamen discernendum est inter ea, quæ rectè dicta sunt, & inter ea, quæ palàm sunt falsa.

## XXIII.

Deus Pater nihil quicquam nobiscum agit, nisi per Filium.

Ergo solus Pater est Deus, non Filius & Spiritus sanctus cum Patre sunt Vnus & verus Deus.

R. Antecedens falsum est. Nã Genes. 1. Elohim deliberat, Faciam<sup>9</sup> inquit, hominẽ. Ergo Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, ibi simul agunt de homine. Sic Pater inquit Math. 3. 17. Hic est Filius meus, &c. Ibi Pater ipse docet nos immediatè de Filio suo, eumque nobis exhibet. Deinde dicta scripturæ de officio vniuscuiusque personæ non tollunt neque destruunt communem seu unicam essentiam seu Deitatem.

## XXV.

Vnum possunt esse multi, non vnus. Nam vnus & vnum differunt.

Pater & Filius vnum sunt, Deitate, potentia, eternitate.

Ergo non vnus & idem Deus est Filius cum Patre.

Declaratio Minoris additur, Christus est vnũ nobiscũ natura vel humanitate, non vnus. Ita etiam cũ Patre est Filius Dei vnũ natura, nõ vnus Deus.

R. Multiplex est impostura in hoc argumento. Primum enim à principio philosophico, quod locum habet in creaturis, ad ipsum creatorem proceditur. Itaque Maior tantum de creaturis loquitur, non de vnitæte essentia Dei. Si verò ad Deum referendum esset, rectè intelligendum esset, nempe personas non esse confundendas: non enim est vnica tantum persona vnus & veri Dei, sed est vnus & verus Deus, qui distinctus tribus, Patre, Filio, & Spiritu sancto, in sacris literis exprimitur, siue istos tres voces hypostases, personas, siue vñs *divina*, existentia, siue aliis conuenientibus nominibus.

Deinde, in Minori est insufficiens enumeratio proprietatum eius unitatis, qua Pater & Filius vnum sunt. Nam existentia seu essentia quoque vnum sunt: id quod callidè isti vereratores omittunt. Ratio firmissima est, quia sacra litera de Deo, vbi non expressè de distinctis personis loquuntur, simpliciter affirmant, vnum esse Deum. Ergo illi tres, quos aliàs distinctè nominat sancta scriptura, sunt vnus ille Deus, de quo primum præceptum ait, Non

*habebis Deos alienos.*

*Declaratio Minoris dissimile adfert. Ergo nihil probat. Nam Filius Dei nequaquam est vnū nobiscum, sicut est vnū cum Patre. Nam de Christo dicitur, plenitudinem diuinitatis in eo habitare  $\sigma\mu\mu\alpha\tau\iota\upsilon\sigma\iota\varsigma$ . Hæc proprietates non conuenit Petro aut Paulo. Ita etiam non ad mensuram Christus accepit Spiritum sanctum. Comprehenditur Filius Dei in primo præcepto, & in illo illustri dicto, Deus tuus vnus est. Item, Nō est alius præter eum. Sed Iacobus, Iohannes, non comprehenduntur tali ratione in istis dictis, nisi quod eum verum Deum agnoscere & colere debent. Conclusio igitur argumenti Ariani vana est.*

## XXVI.

*Filius non est vnus cum Patre, quia tres sunt. Inde hoc argumentum extruitur.*

*Tres non possunt esse vnus.*

*Pater, Filius & Spiritus sanctus, tres sunt.*

*Ergo Filius non est vnus cum Patre, nec Spiritus sanctus.*

*R. A principio Arithmetico, ad ipsam essentiam atque maiestatem Dei, non valet consequentia. Os Domini docet, tres esse, Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, & esse vnū Deum, qui non sit alius, quàm Pater, Filius & Spiritus sanctus.*

*Deinde notanda regula est. Alia dicta scripturæ loquuntur de personis, alia de Vnitate Dei, eaque non seipsa euertunt ac destruunt, sed potius declarant & confirmant. Blasphemum igitur dogma est istorum Arianorum, Patrem, Filium & Spiritum sanctum non esse vnum Deum. Id enim manifestis & expressis verbis assueverant.*

## XXVII.

*Christus nusquam simpliciter dicitur Deus, sed tantum respectu Patris dicitur Deus.*

*Ergo Filius Dei non est vnus & idē Deus cum Patre & Spiritu sancto.*

*R. Ex falsis assueuationibus falsæ conclusiones gignuntur. Falsum est, Christum simpliciter nusquā Deum appellari. Nam Thomas eum simpliciter Iehoua & Deum appellat, Dominus, inquit, meus, & Deus meus. Itē, Rom. 8. Qui est super omnia Deus benedictus in secula. Hebra. 3. Qui creauit omnia Deus est. Loquitur autem de Filio Dei. Deus ipse veniet & saluabit nos. Esaiæ. 9. Vocatum est nomen eius, Deus fortis, &c.*

*Falsum & hoc est, Filium semper tantum respectu Patris Deum dici.*

*Nam*

Nam quod ad personas, sacra scriptura ponit distinctionem & relationem: sed quod ad ipsum ESSE Dei, affirmat vnum esse Deum, qui sit primus & nouissimus, a quo, præter quem non sit Deus. Ergo Filius & Spiritus sanctus non sunt alius Deus, præter eum Deum, qui etiam Pater est. Quæ igitur sacra vox distinctè ponit, & quæ coniungit & vnit, non sunt confundenda, vel neganda. Tres autem esse, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & tamen vnum esse Deum. Ista quidem ratio humana metiri non potest, sed fides mysteriis diuinitus patefactis & traditis, veritatem tribuens, cõplecti potest. Fides enim non absterretur absurdis rationis, sed claro verbo Dei simpliciter & directè assentitur. Deus enim sapientissimus & veracissimus nequaquam mētur. Audio quidem nobis obiici, Filium esse Deum de Deo genitum, ac verè ista dici credo, sed hic de personis dicitur: alia verò dicta simpliciter de ipso Esse seu existentia Dei loquuntur, atque vnitatem vrgent. Eò autem isti Ariani suos cuniculos astute agunt, vt subruant hunc sacrosanctæ Scripturæ & fidei articulum, Filium esse vnum Deum cum Patre & Spiritu sancto. Hinc porro illis Ariani sequetur, Filium esse inferiorem Deum Patre, esse sua quadam peculiari ratione DEVM, ita quidem, vt non sit vnicus & verus Deus cū Patre & Spiritu sancto. Attendat igitur Ecclesia Dei, quætas præstigijs. Ariani meditetur in Ecclesiâ CHRISTI, mirificis suis insidijs, spargere. Aperit enim isti Ariani iaciunt hoc fundamentum L. ij. Patrem, Filium & Spiritum sanctum non esse vnum Deum: Deitatem quidem & Naturam concedit esse cõmunem istis tribus, perinde vt tribus hominibus ipsa humanitas est eadem seu communis. Sed similitudo ab hominibus ad essentiam atque maiestatem Dei inconueniens est. Nam creaturam sic se habere certum est: ipsam verò Dei essentiam eodem modo se habere, nullus Arianus, neque spiritus malignus probare atque euincere vllis argumentis poterit. Referimus autem nos in hisce articulis fidei, non ad creaturas, non ad ratiocinationes cerebri humani, sed ad verbum Dei reuelatum, quod inquit vnum esse Deum, & de hoc vnico Deo differens, nominat Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

## XXVIII.

Vbicunque Deus absolute in scripturis est positus, semper est Pater.  
Ergo solus Pater est vnicus Deus, non Filius, non Spiritus sanctus.  
R. Regula Arianorum non est vera. Sed hæc regula Ecclesiæ Dei, vera est & firma, Vbicunque vocabulum Deus, absolute in scripturis ponitur, nec fit disertè mentio personarum, ibi non solum Patrem, sed Patrem, Filium &

Spiritum sanctum complectitur: ut, *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Non habebis Deos alienos. Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruias, &c.* Nam hic Deus, tali modo in sacris literis exponitur, quod sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, & in mundi creatione, in collectione Ecclesie, in regeneratione, in donatione vitæ æternæ, ac similibus operibus, pari potentia & maiestate coniunguntur, ac consentit Ecclesia Dei vnanimis fides & confessio omnium temporum: id quod alio loco paulò copiosius explicauimus.

Obseruandum denique & hoc est, *Arianos* nouos, more suorum maiorum, perplexè & truncatim de Deo loqui. Itaque ab ipsis iure exigimus, ut integram doctrinam de Deo, perspicuis verbis proponant, & in singulis partibus se euoluât & explicent, non studeant ambiguitatibus & obscuritatibus. Dicant clarè, quod Filius non sit is Deus, qui Pater est: & qualis sit Deus Filius, cum non sit ille ipse Deus, qui Pater & Spiritus sanctus est: quoto gradu, vel qua ratione Filius, quo ad diuinitatem, sit inferior Deo ipso vnico Deo Patre, cum non sit vnicus & verus Deus Filius Dei, an sit alia ratione posterior Deus, & quomodo sit Spiritus sanctus Deus, cum non sit vnicus Deus, qui & Pater & Filius. Cum enim eam proprietatè, vnicum & verum esse Deum, tantum tribuant Patri, eamque, inquam, proprietatem Filio & Spiritui sancto adimant, dicendum est planè, an sint ordine secundi vel tertii Dii, vel nuncupatiuè tantum hoc ipsis epitheton adscribatur, aut alio modo? Vbi se tali pacto prodiderint, iudicium quoque suum, ex verbo Dei & confessione Ecclesie accipient, quale merentur.

Hactenus nouorum *Arianorum* falsas & erroneas doctrinas, contumeliosas in Filium Dei & Spiritum sanctum, recensui, & argumenta excussi, quæ partim ex inscitia crassa & affectata, partim verò ex manifesta calûnia nascuntur. Dolendû autem est, inueniri homines, qui tam terribis portentis applausum præbent, & orandus Deus est, ut istos nouos *Arianos* confundat, ac suâ doctrinam de sua ipsius existentia, incorruptè in Ecclesia sua custodiat, idque propter inuocationem & glorificationem nominis sui sanctissimi Amen. Verè enim nouissima nunc ingruunt tēpora, in quibus diabolus omnis generis corruptelas auget, ut quàm plurimos homines secum in æternû exitiû abripiat.

Blasphemæ voces in Deum, quibus isti immundi porci, & ipsum Deum, & Ecclesiam eius, rectè de hoc articulo sentientem, conspuunt, tam sunt tetra & horrenda, ut eas referre abhorream. Nam istum Deum, qui sit vnus, & sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, hoc est, tres personæ, aiunt esse versipellem Deum,

Deum, qui se interdum occultet in vno, interdum verò dilatet in tribus personis. Et hunc Deum, qui sit vnus in tribus, nihil vnquam egisse, vel verbo vel opere, nec habere Filium, nec Mediatorem, & nihil differre à Deo Baal, Moloch, Bytho, Turcico ac Iudaico. Neque esse vnum Deum Patrem Christi, in essentia & personis querendum. Item sub titulo essentia Dei, Satanam coli inquit. Item, Hunc esse Sophistarum & Antichristi, imò fictitium Deū, esse laruam triformem. Ita nostram doctrinam, quòd vnus Deus existat, & sint tres personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, dicunt esse mera monstra, esse fundamentum Antichristi, esse ipsius Satanæ commentum. Quis non cohorrescit toto pectore, tantas blasphemias audiens? Si aliquot legiones diabolorum ex Acheronte proflirent, possentne horribiliores blasphemias in verum Deum euomere? Ex hisce igitur de nouorum istorum Arianorum delirijs omnes pij iudicent. Non sunt albi & subtiles isti spiritus, qui Ecclesiam per istos furiosos homines impetunt, sed crassi, tetri, nigri: quos propter blasphemias in Deum, nisi pedem referent & conuertentur, meritò DEVS ipse retundet. AMEN Amen.

ASSERTIO DOCTRINÆ ECCLESIAE CATHOLICAE DE SANCTA TRINITATE, cum confutatione erroris Valentini Gentilis, Per Alexandrum Alefium, Academiae Lipsicæ Theologum.

I.

**N**ON voco doctrinam sonantem in Ecclesijs per totum orbem terrarum de sancta & indiuidua Trinitate in dubium, nec de illa more Academico disputo in vtranque partem, neque dubitationem affero, sicut Protagoras apud Cicronem suum librum in cepit: De dijs neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere. Et scio huiusmodi disputationes in Codice Iustiniani prohibitas esse. Sed assueo doctrinã de Trinitate, sicut exponitur in Symbolo Apostolorum, quod ij qui proximi fuerunt Apostolis, & eos ac eorum discipulos audierunt, Ignatius, Polycarpus, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, & alij vocant traditionem Apostolicam & regulam fidei, ac docent, hanc regulam opponendam præscriptionibus hæreticorum. Et confirmo hanc doctrinam ex testimonijs Prophetarum & Apostolorum, sicut illi in expositione Symboli eam cõfirmarunt, & quemadmodum hoc explicatum fuit in Symbolo Niceno & Athanasiano, & in Synodis Antio-



chena, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensi, & sequentibus. Ac ex horum omnium testimoniis hareses omnes refuto.

## II.

Non est autem nouum, ut aliqui, non illi quidem indocti neque hebetes, sed insolentes & inflati opinione scientiæ, & impulsivi gloriosi nominis ambitione, excerpto de sacris literis sententiarum aliquas particulas, & ita abhorrens à Catholico consensu dogma cōflando, authores existant turbarum & secessionum. Neque tam absurdum quicquam consingi potest, quod in nouitate non inueniat astipulatores, quemadmodum intuentibus veteres hareses facillè apparet. Itaque recedentes à Catholica Ecclesiæ orthodoxo consensu non sunt in hac audiendi, quantumuis perstreperant scripturæ iactatione. Atque refutat hos Psalmi grauisimum dictum: Peccatori autē dixit Deus, Quare tu enarras iusticias meas? Cum autem multi fraudulenta inculcatione scripturarum decepti, à vera via seducantur: & quidam modo, qui se Gētilem nominat, personatus Eunomianus, alienus prorsus à populo Dei, quæ est Ecclesia Christi, nefaria temeritate corrūpere summam fidei nostræ, de natura Dei æterni, quæ cernitur in tribus proprietatibus seu personis, & ideo Trinitas vnius Dei appellatur, & detractiones suas per scriptas diuulgare ausus fuerit: non debui neque potui hæc tacendo dissimulare. Atque conatibus illius obuiam eundem esse dixi, quibus fundamentum veritatis cælestis & doctrinæ sanctæ, sanctæ fidei nostræ conuelleretur. Itaque sequentia, de quibus disputaretur piæ argumentatione, secundum consuetudinem Academiae nostræ proposui, repetitis iis quæ exponuntur commemorata traditæque à piis doctoribus in Ecclesia Christi, confutantibus furores, partim manifestè, partim occultè peruertentes patefacta de Dei æterni natura & personis. Quibus futilia commenta istius Gentilis quoque refelli & exterminari facillè intelligent omnes quibus veritas cordi est, τοῖς τε μὴ ἐξ ἐπιθέτας ἡ γὰρ ἀπεὸς τῆ ἀληθείας προσημένους δὲ τῆ ἀδυναμί, ut ait Apostolus.

## III.

Protestatio ac confessio fidei Gentilis.

Valētinus Gentilis Italus, ait se credere libris Canonice veteris & noui testamenti, tanquam oraculis Dei, & confiteri Symbolum Apostolorum & Nicenum, ac damnare omnes hareses cōdemnatas ab Ecclesia ex verbo Dei, nec probare doctrinam ullius hominis, quantumuis docti, & in speciem piæ, qui à scriptura Prophetica & Apostolica discedit, aut huic aduersatur.

## IIII.

Iuxta hanc regulam, à qua nec transversum digitum ait se cessurum, fate  
tur se.

tur se nullum Deum Trinitatem agnoscere. Et ad probandum dogma de personarum Trinitate in vno Deo esse humanum commentum, ignotum Catholicis, ait Sophistas docuisse Trinitatem esse nomen substantiale, & significare essentiam extra personam Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac constituere quartam in Trinitate substantiam. Negat etiam tres personas tantum distinguere relatione, aut proprietatibus, & attributis, & affirmat significare tres rationales, & intelligentes essentias vel substantias. Ait etiam se medium inter hereses oppositas Eunomij & Arii tenere, & neque Deum trinomium, neque tripersonatum ponere: sed sicut in Symbolo dicitur, Credere vnum Deum Patrem omnipotentem. Et ideo solum Patrem dici Deum vnum, propter monarchiam, ut dixit Praxeas. Et quod sit origo & principium, causa & effector omnium, ac essentia Filij. Et propterea Filium, & Spiritum sanctum non posse dici, aut esse vnum cum Patre Deum, quod sit pugnantia in adiecto, dicere quod duo aut tres numero differentes sint simpliciter vnus, aut vnus Deus. Postremo Patrem tantum in Scriptura dici Deum, Filium autem Dominum & Mediatorem, & Spiritum Paraclitum, non autem Deum.

## V.

## Summa sophistices Gentilis.

Ad persuasionem sui dogmatis vitur hac Sophistica, Quod testimonia scripturae, ex quibus omnes Catholici probant vnum Deum esse propter naturae & essentiae unitatem, ipse torquet ad probandum tantum Patrem esse vnum Deum, vel vniam in Diuinitate personam. Et contra omnia scripturae testimonia, ex quibus Catholici probant tres in vna diuinitate esse personas, detorquet ad probandum tres essentias, & substantias. Hoc enim artificio trahit in suam sententiam epistolas Ignatij, & ait sic sensisse Iustinum, Irenaeum, & Tertullianum.

Ego vero Deo iuuante ex eorum & aliorum omnium Catholicorum scripturae interpretum testimonijs, doctrinam de vno Deo, Patre, & Filio, & Spiritu sancto confirmabo, & refutabo sophisticam Gentilis.

## VI.

Possim breuiter & protunde ei respondere, reductis argumentis ad formam syllogismi, & collectis antinomijs ex dictis Patrum, quos ait Scripturam pro sua sententia interpretari, clauum, ut dicitur, clauo pellere: sed non volo truncatas citare sententias, ac potius ex plena & perfecta totius doctrinae Ignatij, Tertulliani & aliorum expositione quae fuerit perpetua eorum sententia de hoc dogmate demonstrare. Quare peto ut si prolixior in citandis

testimonii fuero, lector hanc meam diligentiam pro eruenda & vindicanda veritate à sophistica, boni consulat.

## VII.

Recitabo autem ordine testimonia interpretum scripturæ, inde à temporibus Apostolorum vsque ad hæc nostra: & incipiam ab Ignatio, discipulo Apostolorum. Deinde veniam ad Iustinum, & Irenæum discipulum Polycarpi, & ad Clementem Alexandrinum discipulum Pantæni, & Tertullianum, & Origenem discipulum Clementis Alexandrini, & Cyprianum, & alios qui præcesserunt Nicenam Synodum.

## VIII.

Ignatius in epistola ad Trullianos hos in Christum contumeliosos vocat, qui eum à Patre alienant, & neque quòd sit Spiritus sanctus, confitentur. Et in epistola ad Magnesianos: Christum verò ante secula genitum à Patre, Deum verbum, & unigenitum Filium, quia vnus est, Deus omnipotens qui manifestauit seipsum per Iesum Christum Filium suum, qui est verbum, ipsius nõ prolatiuum scilicet, sed substantiale, non loquutio articulata vocis, ἀλλὰ ἐνεργίας θεϊκῆς ἰσὶα γεννητὴ, id est, ut in epistola ad Hebræos dicitur, ἀπαύλασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴ τοῦ θεοῦ ὁμοιωσάμενος αὐτῷ. Et in eadem epistola Ignatiij dicitur: Qui ante secula genitus est à Patre, postea autem factus ex Maria virgine ἀπὸ ἐμυλίας: viri, solū, verum, Deū Patrē suum annunciauit. Et in epistola ad Colossenses: Et quòd iste qui natus est ex muliere, Filius est Dei, & qui crucifixus est, primogenitus est vniuersæ creaturæ, & Deus verbum, & ipse fecit omnia iussione Patris, quod Apostolus corroborat dicens: Vnus Deus Pater ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia. Et iterum, Vnus enim Deus, vnus est Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus vniuersæ creaturæ: quoniam in ipso creata sunt omnia, quæ sunt in celo & in terra, visibilia & inuisibilia. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et quia non est ipse ille qui est super omnia, Deus, sed Filius ipsius, qui & ascendere se ad eum profitetur dicens: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & ad Deum meum & Deum vestrum. Et quando ei fuerint omnia subiecta, tunc & ipse subiectus erit illi, qui ei subdidit omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.

## IX.

Ergo alius est ille, qui subiecit Filio omnia, & qui est omnia in omnibus: & alius Filius cui subiecta sunt omnia, qui & post hæc omnia subiectus erit illi qui ei subdidit omnia. Et nõ est purus homo ille δὲ ἰσὶα ἐν ᾧ γέγονε τὰ πάντα, id est,

id est, per quem, & in quo facta sunt omnia. Omnia enim, inquit, per ipsum facta sunt. Et in libro Sapiencie ipse de seipso refert dicens: Quum faceret calum aderam illi. Et iterum: Ego eram apud eum cuncta componens, & congaudebat mihi quotidie.

## X.

Quomodo autem homo purus audiret, Sede ad dextram meam? Aut quomodo diceret, Antequam Abraham fieret, ego sum? Vel illud quod ait: Gloria illa glorifica me, quam habui apud te priusquam mundus fieret? Quis autem homo possit dicere, Descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me? Vel de quo homine diceretur, Erat lumen illud lumen verum, quod illuminat omnem hominem veniens in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt?

## XI.

Quomodo ergo huiusmodi homo est purus ex Maria demum habens initium ut esset, & non potius Deus verbum, & Filius unigenitus, de quo dictum est: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et paulo post: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate. Et iterum: Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Qui & per Salomonem refert dicens: Ante omnes colles genuit me Dominus. Et ressuscitaturus est corpora nostra. Dixit enim: Amen dico vobis quonia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei. Et qui audierint, vivent.

## XII.

Ecce quomodo Ignatius exponit primum & secundum articulum Symboli, & confutat hareses sui temporis Cherinti, Ebionis, & aliorum, qui negabant Dominum nostrum Iesum Christum esse natura Deum: aut contendebant eum non esse alium à Patre, id est, aliam ab ipso personam distinctam. Ex illis scripturae Propheticae & Apostolicae testimoniis, ex quibus omnes in hunc usque diem orthodoxi probant Patrem & Filium & Spiritum sanctum, esse unum Deum, & distinctas inter sese personas.

## XIII.

Hic enim est scopus, & status omnium disputationum Ignatij contra hareses de Trinitate. Et in hanc sententiam ipse illa quae praecesserunt exponit, in Epistola ad Philippenses: Unus est enim Deus omnium, Pater Christi, ex quo omnia. Et unus Dominus noster Iesus Christus Filius Dei unigenitus, domi-

nator vniuersorum, per quem omnia: vnus etiam Spiritus sanctus, qui operabatur in Mose & Prophetis & Apostolis. Vnum quoque est baptisma, quod datur in morte Christi: vna itaque Ecclesia esse debet, & vna fides, quæ est in Christo, secundum dictum eiusdem Apostoli diceatis: Vnus Deus, vna fides, & vnum baptisma: vnus Deus & Pater omnium, & per omnia, & in omnibus.

## XIIII.

Vnus igitur Deus & Pater, & non duo, neque tres, vnus existens, & non est præter eum solus verus. Dominus enim dicit: Deus tuus Dominus vnus est. Et rursum: Nonne vnus Deus creauit nos? nonne vnus Pater omnium nostrum? vnus verè etiam Filius λόγος Deus vngénitus, qui est in sinu Patris. Et iterum, Vnus Dominus Iesus Christus. Et alibi: Quod nomē eius, aut quod nomen Filij eius? Scitote autem, quia vnus est Paracletus, vnus Spiritus, sicut vocati estis in vnā spem vocationis vestræ. Et iterum, Omnes in vno Spiritu ἐπιδοθημεν. Manifestè autem omnia dona gratiarum ipse atque idem Spiritus operatur. Ergo neque tres sunt Patres, neque tres Filij, sed neque tres Paracleti, sed vnus Paracletus: ac propterea Dominus mittens Apostolos docere omnes gentes, præcepit eis, Baptizate eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Non in vnum quendam trinomium, neque εἰς τρεῖς ἑνωθῆσαν ἡσ αὐτὰς, ἀλλ' εἰς τρεῖς ὁμοτύπως, quia vnus est tantum qui homo factus est, non Pater scilicet, neque Paracletus, sed solus Filius.

## XV.

Et hîc rursus vide in quam sententiā, & contra quos Ignatius dicit vnum Deum Patrem, videlicet contra hæreticos, qui docebant, Vnam tantum esse ὑπόστασιν, id est, personam diuinam, quæ haberet tria nomina, propter tria officia: & quòd dicatur Pater, quia creauit nos: Filius, quia in assumpta humana natura mortuus est: & Spiritus sanctus, quia sanctificat Ecclesiam, vel ne putentur plures dî, aut Patres, aut Filij, aut Spiritus sancti, sicut Valentiniāni, & alij hæretici confinxerunt, de quibus in principio Epistolæ Ignatius meminit. Et in sequenti Epistola ad Philadelphenses, vbi ait: Si quis vnum Deum dicit, confiteturque IESVM CHRISTVM, hominem verò purum putans Dominum, & non Deum vngénitum, & Sapientiam & Verbum Dei, huiusmodi est pauper sensu sicut Ebion.

Et in Epistola ad Ephesios clarissimè refutat mendacia Gentilis, quum ait: Medicus autem noster est solus verus Deus vngénitus & inuisibilis Dominus omnium, vngéniti Pater & genitor.

Falsum

## XVI.

Falsum est igitur Patrem solum dici unum Deum excluso Filio, & Filium dici, Dominum, non autem unum Deum cum Patre. Imò Ignatius & nomen Veri Dei, & Medici cōmune facit Patri & Filio in diuina natura. Et postea idem nomen tribuit Filio etiam in assumpta humanitate. Et docet eum vocari Dominū nostrum, propter incarnationem, passionem, mortem, & resurrectionem, ascensionem in cælum, & reditū ad iudicium, quum addit, Habemus autem Medicum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ante secula Filium unigenitū, & in principio Verbum: postea verò & hominem ex Maria virgine. Verbum enim, inquit, caro factum est, incorporalis in corpore, impassibilis in corpore passibili, immortalis in corpore mortali, vita in corruptione, ut de corruptione & morte liberet animas nostras, & sanet eas infusas morbo impietatis, & iniquis desideriis.

## XVII.

Hic Ignatius nomen Dei & Medici cōmune facit Patri & Filio, & quidem in vtraque natura: & docet Filium Dei factum hominem passibilem & mortalem, ut nos à morte liberaret, & sanaret animas nostras. Imo tribuit proprietates vtriusque naturæ diuinæ & humanæ personæ Christi, ut dicatur Deus verus incorporalis, impassibilis, immortalis, & incorruptibilis: & homo passibilis, corporalis, mortalis, & corruptibilis, iuxta Regulam τῆς ἐπι κοινότητος ἰδιωμάτων, id est, de communicatione proprietatum. Hæc tam copiosè ex omnibus epistolis Ignatij excipere, ut confirmarem doctrinam Ecclesiæ de expositione Symboli Apostolorum, & confutarem mendacia Gentilis, qui ex truncatis quibusdam sententiis suum errorem stabilire conatur.

## XVIII.

Nunc ad Iustinum venio, cuius etsi auctoritatem pro suo errore producit: nullam tamen affert ex eo sententiam. Ego verò contra eius testimonia confirmata ex sacris literis profero ad confutandam illam eius impietatem & impudentiam, qua asserit Patri tantum in scriptis Prophetis & Apostolicis tribui nomen Dei, & Filio nomen Domini.

## XIX.

In colloquio cum Tryphone, in quo ille negat Iesum Christum crucifixum dici in scriptura prophetica Deum. Principio ait, Dominus etiam sibi ipsi nomen imposuit, ut qui te redemit, is Deus Israelitici populi in omnium terra vocaretur, Esaiæ 54. Et hanc suam sententiam confirmat ex dicto Esaiæ 55. Nationes quæ te ignorant, te innocabunt & appellabunt. Populique ij quibus

ignotus es ad te confugient, propter Dominum Deum tuum, sanctum Israelis, qui tibi gloriam tribuit. Querite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum in propinquo est. Derelinquat impius vias suas, & prauas cogitationes suas ciiciat, redeatque ad Deum. Deinde ex his versibus Psalmi 49. Deus deorum Dominus loquutus est, & vocauit terram, Deus noster aperte veniet, Deus noster nec silebit. Annunciabunt celi iusticiam eius, quod index sit Deus. Audi, popule meus, & tecum loquar, Israel, & tibi testificabor, Deus Deus tuus ipse sum. Immola Deo sacrificiū laudis, reddēque vota tua Altissimo. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honore me afficies. Peccatori autem dixit Deus.

## XX.

Et ex Psalmo 110. Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextrā meam, quem Psalmum vindicat à falsis Phariseorum commentis. Et ex versu Psalmi 62. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Hunc etiam Psalmum probat exponendum esse non de Salomone, sed de Christo. Et ex versu Psalmi 23: Hic benedictionem consequetur à Domino, & misericordiam à Deo salutaris suo. Tollite portas principes vestras, & introibit rex gloria, Dominus exercituum ipse est rex gloria. Et ex versu Psalmi 45. Thronus tuus Deus in seculum, & in perpetuum: virga equitatis, virga regni tui. Dilexisti iusticiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te, ò Deus, Deus tuus oleo latitiae, & concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

## XXI.

Hæc loca cum ab authore epistolæ ad Hebræos citentur cap. 1. ad probandum Christum esse, dicique Deum in prophetica scriptura, & non solum Patrem: nihil opus est, vt plura ex colloquio Iustini cum Tryphone testimonia proferamus, ad probandum, non solum Patrem, sed Filium Dei in Scriptura dici Deum.

## XXII.

Hanc potius inspiciamus questionem, quam Tryphon Iudæus quarit à Iustino, Vt doceat ex prophetica scriptura alium Deum positum & prædicatum præter effectorem vniuersi. Hoc enim quarit Gentilis. cui respondeo cum Iustino, Ad scripturas me refero, tibi que persuadere conabor huc qui Abrahamo & Iacobo atq; Mosi visus esse dicitur, diuersum esse ab eo Deo, qui omnia condidit, numero duo, non consilio & sententia. Scriptura dicit Genes. 19. Sol in terra ortus est, & Loth ingressus est Segor. Tumque Dominus pluit sulphur & ignem

ignem à Domino. Et, Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextrâ meam. Et, Solium tuum Deus in perpetuum dilexisti iusticiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ. Et Genesis 31. Ego sum Dominus quem vidisti in loco Dei, ubi mihi columnam unxisti. Eodem capite, Quòd si Deû viribus superasti, & homines superabis. Et, Vidi Deum facie ad faciem. cap. 33. Apparuit ei rursus Dominus postquam ex Mesopotamia Syria redisset, eique benedixit. Et Genesis 28. Ego sum Dominus Deus Abrahami, Isaaci. Exo. 2. Moses ait: Dominus Deus patrum nostrorum mihi apparuit. Genesis primo, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Genesis 3. Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Esaia 42. Ego Dominus Deus, hoc nomen meû est, gloriam meâ alteri non tradâ. Hoc ex contextu orationis dictum Iustinus probat de Filio Dei, non de Patre intelligendum esse, & refutat argumeta Tryphonis, quæ Gentilis nûc repetit.

## X XIII.

Eadem in Apologia ad Antoninum pium proferuntur, contra eos, qui negant Filium Dei esse vnum cum Patre Deum. Exodi 3. Ego sum is, qui est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus patrum vestrorum.

## X XIII.

Eodem loco refutat duas hæses, quarum prima vnâ tantum esse personam Patris & Filii, alia Filium non esse vnum cum Patre Deum docet. Qui enim, inquit, Filium Patrem esse censent, nec Patrem scire coarguuntur, nec Patri omnium Filium esse cognoscere, qui cum etiam Verbum primo genitum Dei sit, Deus quoque est, qui Mosi ceterisque Prophetis se patefecit.

## X XV.

In expositione fidei est clara confutatio hæses Gentilis. Igitur inquit, vnum Deum colere nos & diuinæ scripturæ, & patrum doctrinæ docent. Sit enim vnus oportet author omnium, maximè vt nihil extra circumstans ea quæ fiunt labefactet. Etenim si quid ab initio extra Deum erat, id profecto necesse erat, aut Deum, aut vim aliam quamlibet esse confiteri. Ac si Deum, quidem id esse dicat quispiam, in diuinæ voces lituram induxit, quæ apertè clamant, Ego Deus primus sum. Et postea, Et præter me non est Deus.

## X XVI.

Ecce, ex his ex quibus Gentilis probat Filium non vnum cum Patre Deum esse, Iustinus confirmat eum cum Patre esse Deum. Et addit: Vnus, igitur verè est Deus omnium, isque in Patre, Filio, Spirituque sancto cognoscitur, & intelligitur. Quoniâ enim ex sua natura & essentia Pater Filii genuit,



Ex eadem processit profectusque est Spiritus sanctus, iure ac merito ea quæ unius eiusdemque essentialis sunt, unius etiam atque eiusdem habentur diuinitatis. Respondet etiam ad argumenta cum aliorum hæreticorum, tum Eunomy & Gentilis. Quomodo ergo, dicit aliquis, non differat id quod generat, ab eo quod generatur? & quod processit, ab eo à quo profectum est? Atqui Pater ingenitus est, à quo & Filius generatus est, & profectus Spiritus. Non igitur est idem Filius & Spiritus sanctus, qui Pater. Nam hæc verba Ingenitum, Genitum, Profectum, non naturæ, essentialisque sunt nomina, sed modi quibus res constant. Modus enim constandi (Græcis est τρόπος ὑπαρξέως) his nominibus notatur. Essentialis verò explicatio, Dei significatur ac declaratur appellatione, ut sit Patris à Filio & Spiritu ex modo constandi distinctio: Identitas autem (ut hoc verbo utar) sit ex ratione essentialis. Si enim Pater id quod est (τὸ εἶναι) habet ἀγεννητός, id est ingenito modo, Filius autem γεννητός, id est genito modo, & Spiritus cum processione seu profectioe, ea quæ distinctionis sunt propriè debent considerari. Si verò etiam personæ ipsius id quod est secundum essentialiam significatur, simul id communi diuinitatis declaratur nomine. Non igitur Ingeniti, Geniti & Profecti nomina essentialiam declarant, sed hypostasies.

## X XVII.

Probat etiam Patrem & Filium, & Spiritum sanctum esse unum Deum, ex dicto Christi Matthæi. 26. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Et Pauli 2. ad Corinthios 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & cōmunicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Et ad Ephesios 2. In ipso summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis edificatio constructa, crescit. In quo & vos cōedificamini in habitaculū Dei in Spiritu sancto. Videsne, inquit, ut edificatū quod Christi nomine paratur docens, quo Christi templum efficitur, quemadmodum scriptū est: Inhabitabo in eis, & inambulabo, erōque eorum Deus? tres nobis personas coniunctè colligit.

## X XVIII.

Et post similia testimonia ut ad Ephesios: Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det vobis corroborari per eius Spiritum in nouum hominem, ut Christus per fidem habitet in cordibus vestris, &c. Et 2. ad Corinthios 1. Deus qui nos vobiscum in Christo confirmat, nosque vnxit, & nos signauit, deditque pignus Spiritus in cordibus nostris. Ad Galatas 4. Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in cordibus,

da vestra, clamantem, Abba Pater.

## XXIX.

Post hæc inquam testimonia & similia, tandem sic concludit: Quamobrem unum Deum par est nos profiteri, qui in Patre ac Filio, & Spiritu sancto intelligatur: ita tamen vt hoc quidem ipso, quod Pater, ac Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus diuinitatis, personas cognoscamus: eo autem ipso quod Deus sunt, ad quod commune est personarum, in natura & essentia intelligamus. Nam & vnitas in trinitate, & trinitas in vnitatem intelligitur. Quod quomodo fiat, nec querere alios velim, nec mihi ipsi persuadere possum, me verba quæ de rebus abstrusis sunt, lingua lutea impuraque caruncula audere profiteri.

Vade nunc mendax & impudens hæretice, & fionem perfrica, negando Filium, & Spiritum sanctum unum cum Patre Deum esse, & affirmando sanctam & indiuiduam trinitatem Patrem, Filium & Spiritum sanctum unum Deum, humanum commentum scripturæ sacræ & Catholicis ignotum esse, & Iustinum tibi patrocinari.

## XXX.

Iustino coæuus fuit Irenæus, discipulus Polycarpi, qui lib. 3. contra hæreses Valentini capite. 6. scriptum reliquit: Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum qui nõ esset Deus, definitiue & absolutè Deum nominassent, nisi esset verus Deus: neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui Dominus omnium Deum Patrem & Filium eius, qui dominium accepit à Patre suo, omnis conditionis, quemadmodum habet illud: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, quousque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Patrẽ enim Filio colloquutum ostendit, qui & dedit ei hereditatem Gentium, & subiecit ei omnes inimicos. Verè igitur quum pater sit Dominus, & Filius verè sit Dominus, meritò Spiritus sanctus Domini appellatione signauit eos. Et iterum in euerfione Sodomitarum scriptura ait: Et pluit Dominus super Sodomã & Gomortam ignem & sulphur à Domino de celo. Filium enim hîc significat qui & Abrahæ collocutus sit, à Patre accepisse potestatem adiudicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum. Similiter habet illud: Sedes tua Deus in æternum, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te ò Deus, Deus tuus. Vtroque enim, Dei appellatione significauit Spiritus, & eum qui vngitur, Filium, & eum qui vngit, id est, Patrem. Et iterum, Deus stetit in Synagoga deorũ: in medio autem deos discer-

nit, de Patre, & Filio, & his qui adoptionem meruerunt, dicit, *Hi autem sunt Ecclesia. Hac enim est Synagoga Dei, quam Deus, hoc est, Filius per seipsum collegit. de quo iterum dicit: Deus Deorum loquutus est, & vocauit terram. quis Deus: de quo dicit: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit, hoc est, Filius qui secundum manifestationem hominibus aduenit.*

## XX XI.

*Nemo igitur Deus aut Dominus appellatur, nisi qui est Dominus omnium & Deus: qui & Mos ait, Ego sum qui sum. Et de quo Elias, Si vnus est Dominus Deus, venite post eum. Et iterum ait sacerdotibus idolorum, Vos inuocabitis in nomine deorum vestrorum, & ego inuocabo in nomine Domini Dei mei: & Deus qui exaudiet hodie, ipse est Deus. Sic autem inuocat: Domine Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, exaudi me hodie. Et intelliget omnis populus quoniam tu es Deus Israel.*

## XX XII.

## Oratio Irenæi.

*Et igitur te inuoco Domine Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Pater Domini nostri Iesu Christi, Deus qui per multitudinem misericordie tue bene sensisti in nobis, qui fecisti cælum & terram, & dominaris omnium, qui es solus & verus Deus, super quem alius Deus non est, præter Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, dominatione qua dominaris Spiritus sancti: da omni legenti hanc scripturam cognoscere te, quia solus Deus es, & confirmari in eo, & abstinere ab omni hæretica, & quæ est sine Deo impia sententia. Hac Irenæus.*

## XX XIII.

*Sequentibus capitibus docet ex scripturis, neminem ex Prophetis, & Apostolis confessum fuisse Dominum Deum alium Dominum atque Patrem & Filium & Spiritum sanctum.*

## XX XIII.

*Clemens Alexandrinus in adhortatione ad Græcos: Hic ergo Verbum Christus, & vt nos olim effemus. Erat enim in Deo, & vt bene effemus causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus & homo, & est nobis omnium causa bonorum, à quo edocti rectè viuere ad vitam æternam transmittimur. Nam vt ait diuinus ille Domini Apostolus: Gratia Dei salutaris omnibus hominibus apparuit, docens nos vt abnegantes impietatem & secularia desideria, moderatè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & salua-*

toris

toris nostri Iesu Christi. Hoc est canticum nouum aduentus, qui nunc refulsit in nobis uerbi, qui erat in principio, & prius fuit. Apparuit autem qui est, in eo qui est uerbu, qui erat apud Deu, doctor apparuit, per que omnia sunt fabricata. Verbum qui cum eo quod finxit vitam simul prauit in principio ut opifex, bene uinere docuit cum apparuisset ut Magister, ut postea semper uinere suppeditaret, ut Deus.

## XXXV.

In pedagogo cap. 12. Atqui mihi quidem is ipse uidetur hominem finxisse ex puluere, aqua autem regenerasse, Spiritu uero auxisse, Verbo autem pedagogi instar instituisse, ad filiorum adoptionem & salutem sanctis preceptis dirigens, ut cum terra genitum, & in Sanctum & supercoelestem hominem suo aduentu transformasset, diuinam illam uocem maxime impletet: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, atque fuit quidem Christus, Hoc plenum quod dixit Deus.

Eadem oratione adhortatoria ad Gentes, exponit hac dicta de Patre, Filio & Spiritu sancto. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est. Et Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Deus propinquus ego sum, & non Deus procul. Si fecerit homo aliquid in occulto, & ego non uidebo ipsum? An non calum & terram ego impleo, dicit Dominus? Quis metietur calum palmo, & terram omnem pugillo? A facie tua montes liquefcent, sicut cera a facie ignis. Is est, inquit, Deus, cuius calum est thronus, terra autem scabellum pedum eius. Videte, uidete quod ego sum, & non alius Deus est preter me. Ego occidam & uinere faciam. Ecce, ego firmans tonitru & creans Spiritum, manus quoque meae caeli fundarunt militiam. Ego sum Dominus. Ego sum qui loquor iustitiam, & annuncio ueritatem. Ego Deus & preter me non est Iustus. Et seruator non est excepto me. Conuertimini ad me, & salui estote qui estis ex finibus terra. Ego sum Deus & non est alius.

## XXXVI.

## Tertullianus contra Praxeam:

Nos uero & semper, & nunc magis, ut instructiones per Paraclerum, deductorem scilicet omnis ueritatis, unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam oikououla dicimus, ut unici Dei sit, & Filius sermo ipsius, qui ex ipso Patre in uirginem descendit, & ex ea natum hominem, & Deum Filium hominis, & Filium Dei & cognominatum Iesum Christum, hunc passum, hunc mortuum, & sepultum secundum scripturas, & resuscitatum a Patre, & in caelo resumptum, sedere ad dextram Patris, uenturum

indicare viuos & mortuos, qui exinde emisert secundum promissionem suam à Patre, Spiritum sanctum paraclerum, sanctificatore m fidei eorum, qui credunt in Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

## XXVII.

Sed salua ista prescriptione, ubique tamen propter instructionem, & munitionem quorundam dandus est etiam tractatibus locus, ne videatur unaqueque perversitas, non examinata, sed præiudicata damnari, maxime hæc quæ se existimat meram veritatem possidere, dum unicum Deum non aliàs putat credendum, quàm si ipsum eundemque, & Patrem & Filium, & Spiritum sanctum dicat, quasi non sic quoque vnus sit omnia, dum ex vno omnia per substantiæ scilicet unitatem, & nihilominus custodiatur oinovopias sacramentum, quæ unitatem & trinitatem disponit, tres dirigens Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie. Vnius autem substantiæ & vnus status, & vnus potestatis, quia vnus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ & species in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.

## XXXVIII.

Simplices enim quique, ne dixerim imprudentes & idiotæ, quæ maior semper credentium pars est, quoniam & ipsa regula fidei à pluribus diis seculi ad unicum & verum Deum transfert, non intelligentes, unicum quidem, sed cum sua oinovopias esse credendum: expauescunt ad oinovopias numerum, & dispositionem trinitatis, diuisionem præsumunt unitatis. Quando unitas ex se ipsa deriuans trinitatem, non destruat ab illa, sed administrerur.

## XXXIX.

Colligit Tertullianus loca scripturæ quæ probant tres personas in vno Deo.

Et post longam disputationem addit. Si enim vna persona & Dei & Domini in scripturis inueniretur, merito Christus non esset admissus ad nomen Dei, & ad Domini. Nemo enim alius præter quàm vnus Deus & vnus Dominus predicabatur, & futurum erat, vt ipse Pater descendere videretur, quia vnus Deus, & vnus Dominus legebatur, & tota œconomia eius obumbraretur, quæ in materiam fidei prospecta atque dispensata est. At vbi venit Christus, & cognitus est à nobis quod ipse qui numerum retro fecerat, factus secundus à Patre, & cum Spiritu tertius, & tamen Pater per ipsum, Pater, plenius & manifestius redactum est nomē Dei & Domini in vnione: & quia ationis erat, vt à multitudine idolorum transirent ad unicum Deum, vt differ-

rentia

ventia constitueretur inter cultores unius & plurimæ diuinitatis. Nam & lucere in mundo Christianos oportebat ut filios lucis, lumen mundi, unum & Dominum colentes, & nominantes.

## X L.

Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut Apostolus, Ex quibus Christus, qui est (inquit) Deus super omnia benedictus in secula. Citat etiã ad id probandum dictum Moysis: Pluit super Sodomam & Gomorrhã ignem & sulphurem Deus à Deo.

## X L I.

## Expositio primi articuli symboli,

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, à Tertulliano, qui respondet ad argumenta hereticorum, quibus probabant solum Patrem dici Deum omnipotentem. Omnia inquit, Patris, mea sunt, cur non & nomina? Quum ergo legis, Deum omnipotentem & Altissimum, & Deum virtutum, & Regem Israelis, & Qui est, vide ne per hæc Filius etiam demonstretur suo iure Deus, quia sermo Dei omnipotentis, & quia omnium accepit potestatem: Altissimus, quia dextra Dei exaltatus, & quia omnia sunt illi subiecta à Patre: Rex Israelis, quia illi propriè excidit fors gentis istius. Si autem volunt Christi nomen Patris esse, audient suo loco. Interim hîc mihi promotum sit responsum aduersus id quod & de Apocalypsi Iohannis proferunt: Ego Dominus qui est, & qui erat, & qui fuit, & venit omnipotens. Et sicubi alibi Dei omnipotentis appellationem non putant etiam Filio conuenire, quasi qui venturus non sit omnipotens, cum & Filius omnipotentis tam omnipotens sit Dei Filius, quàm Deus Dei Filius.

## X L I I.

Sed hanc societatem nominum paternorum in Filio ne perspiciant, perturbat illos scriptura, si quando unicum Deum statuit: quasi non eadè & Deos, & dominorum Dominos proposuerit, ut suprã ostendimus. Ergo quia duos, & unū inquit inuenimus, ideo ambo vnus atque idem, & Filius, & Pater. Porro non periclitatur scriptura, ut illi de tua argumentatione succurras, ne sibi contraria dicere videatur. Habet enim rationē, & quum unicum Deum statuit, & quum duos Patrem & Filium ostendit, & sufficit sibi. Filium nominari ab ea cõstat Deum. saluo enim Filio rectè unicum Deum potest determinasse, cuius est Filius. Non enim desinit esse qui habet Filium, ipse vnicus suo scilicet nomine quoties sine filio nominatur. Sine filio autem nominatur, cū principaliter determinatur, ut prima persona, quæ ante Filii nomen

erat præponēda, quia Pater antè cognoscitur, & post Patrē Filius nominatur.

## XLIII.

Igitur vnus Deus Pater, & absque eo alius non est. Quod ipse inferens non Filium negat, sed alium Deum. Caterum alius Deus à Patre solus non est. Denique inspice sequentia huiusmodi pronunciationum, & inuenies fere ad idolorum factitantes atque cultores definitionem earum pertinere, vt multitudinem falsorum deorum vnio diuinitatis expellat: habens tamen Filium, quanto indiuiduum & inseparatum à Patre, tanto in Patre reputandum, etsi non nominatum. Atqui si nominasset eum, separasset ita dicens: Alium præter me non nisi Filius meus: alium etiam Filium fecisset, quem de aliis excepisset, itaque præter seipsum non esse alium Deum: hoc propter idololatriam tam nationum quàm Israelis: etiam propter hæreticos, qui sicut nationes manibus, ita ipsi verbis idola fabricantur, id est, alium Deum & alium Christum.

## XLIIII.

Ad alia scripturæ loca citata ab hæreticis, Extendit cælum solus, respondet ex Euangelio: Omnia per ipsum facta sunt. Proinde & Filii vox erit: Extendi cælum solus, sicut in Psalmo dicitur: Verbo Domini celi firmati sunt: quia sophia in Sermonem assistente paratum est cælum, & omnia per Sermonem sunt facta. competit & Filium solum extendisse cælum, quia solus operationi Patris ministravit. Idem erit dicens: Ego primus & in superuentura, & præter me non est Deus. In principio enim erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Et addit:

## XLV.

Nam in veteribus nihil tenent aliud quàm Ego Deus, & alius præter me non est. Et in Euangelio: Ego & Pater vnus sumus. Et, Qui me videt, videt etiam Patrem meum. His tribus capitulis totam scripturam vtriusque testamenti volunt credere. Sed si propterea eundem & Patrem & Filium credendum putant, vt vnus Deum vindicent, salua est vnio eius, qui cum sit vnus, habeat & Filium æquè & ipsum eisdem scripturis comprehensum. Si Filium nolunt secundum à Patre reputari, ne secundus duos faciat deos dici, ostendimus duos Deos in scriptura relatos, & duos Dominos: & tamen ne de isto scandalizaretur, rationem reddimus, qua Dii nõ duo dicantur, nec Domini, sed quia Pater & Filius duo, & hoc non ex separatione substantia, sed ex dispositione, cum indiuiduū & inseparatū Filiū à Patre pronunciamus, nec statim, sed gradu, alium, qui etsi Deus dicatur, quando nominatur singularis,

non ideo duos Deos faciat, sed unum, hoc ipso quod & Deus ex unitate Patris vocari habeat.

*Summa.* Quæ Tertullianus cõtra Praxeam ex scriptura profert testimonia ad probandum Filium non esse eandem, sed aliam à Patre personam: Gentilis torquet ad probandum Filium nõ esse unum cum Patre Deum. Et solum Patrem esse unum Deum, & Filium alium à Patre Deum.

## XLVII.

Cyprianus in expositione Symboli Apostolorũ ait Orientales dicere: Crede in vno Deo Patre omnipotente, & in CHRISTO IESU vnico Filio eius. Deus autem inquit natura ipsius vel substãtiæ, quæ est super omnia, est appellatio. Pater arcani & inuisibilis sacramenti vocabulũ est. Definit etiã Deum, substantiam, sine initio, sine fine, simplicem, sine vlla admixtione, inuisibilem, incorpoream, ineffabilem, inestimabilem, in qua nihil adiunctum, nihil creatum sit. Docet etiam in Patre Filium intelligẽdum esse, Patrem, inquit, quum audis, Filium intellige & Patrem, cuius est imago & substãtia. Hoc ergo ipso nomine quo Deus Pater appellatur, cum Patre pariter subsistere etiam Filius demonstratur. Credendus est ergo Deus Pater esse vnici Filij Domini nostri, non discutiedus. Neque enim fas est de natalibus Domini disputare. Contestatus est Pater de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui, ipsum audite. Filius dicit: Qui vidit me, vidit & Patrem. An non credis quod ego in Patre, & Pater in me est? Ego & Pater unum sumus. Qui est qui inter has Patris & Filij voces, medium se interferat, & deitatem diuidat, affectum separet, & substantiam rumpat, spiritum secet, neget esse verũ quod veritas dicit?

## XLVIII.

Quod diximus Orientis Ecclesias tradere Patrem omnipotentem, & unum Dominum, hoc modo intelligendum est: Vnum non numero dici, sed vniuersitate, vt exempli causa, si dicamus unum solem. Hic vnus ita dicitur, vt alius, vel tertius addi non possit, vnus sol. sic Deus propterea vnus dicitur, quod alius non sit. Similiter & de Domino accipiendum est, quod vnus sit Dominus Iesus Christus, per quem Deus Pater dominatum omnium tenet, vnde & sequens Sermo omnipotentem pronunciat Dominum. Omnipotens autem ab eo dicitur, quod omnium teneat potentatum. Tenet autem omnia per Filium, sicut Apostolus dicit, quia per ipsum creata sunt omnia visibilia, & inuisibilia. Quia sicut lux de luce, & veritas de veritate, ita de omnipotente omnipotens nascitur, vt in Apocalypsi Iohannis de Seraphin scriptum est: Et requiem non



habebant dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus qui est, & qui venturus est omnipotens.

## X L I X.

Origenes *περί ἀρχῶν* cap. 1. seruetur Ecclesiastica pradicatio per successio- nis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanēs. Illa sola credēda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione. Primò, quod vnus sit Deus, qui omnia creauit atque composuit, quique ex nul- lis fecit esse vniuersa, Deus a prima creatura, & cōditione mūdi, & omnium iustorū, Deus Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, duodecim Patriarcharum, Mosis & Prophetarum, & quod hic Deus in nouissimis diebus, sicut per Prophetas suos antè promiserat, misit Dominum Iesum Christum: primò quidem vocaturum Israel, secundo verò etiam gentes post perfidiam populi Israel. Hic Deus iustus & bonus, Pater Domini nostri Iesu Christi, Legem & Prophetas, & Euāgelia ipse dedit, qui & Apostolo- rum Deus est, & veteris & noui Testamēti. Tum deinde quia Iesus Christus ipse qui venit ante omnem creaturam natus ex Patre est, qui cum in omnium cōditione Patri ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) nouissimis tem- poribus seipsum exinaniens factus est homo, incarnatus est quum Deus esset, & homo mansit, quòd Deus erat.

## L.

Ex cap. 2. Nemo putet aliquid nos in substātiuum dicere, quum Dei Filium Sapientiam nominamus. Si ergo semel rectè receptum est, vniogenitum Filium Dei Sapientiam eius esse substantialiter subsistentem, quomodo extra huius Sapientiæ generationem aliquando Deum Patrem vel punctum momenti ali- cuius quis potest sentire, vel credere? propter quod nos semper Deum Patrem nouimus vniogeniti Filij sui. Extra omne igitur quod vel dici, vel intelligi po- test, initium, generatam credendum est Sapientiam. In hac ipsa ergo Sapientiæ subsistentia omnia erant præformata atque disposita.

## L I.

Sicut igitur volūtus procedit è mente, & neque partem aliquam mentis se- cat, neque ab ea separatur aut diuiditur, tali quadam specie putandus est Pater Filium genuisse imaginem scilicet suam. Vt sicut ipse inuisibilis est per naturam, ita imaginem quoque inuisibilem genuent.

## LII.

## Gregorius Neocæsariensis in Antiochena Synodo conuocata contra Paulum Samosatenum.

*Vnus Deus Pater Verbi viuentis, Sapientia subsistentis, & imaginis suæ integra, integer genitor, Pater Filij unigeniti, vnus Dominus, solus ex solo, imago Patris, Verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, vnus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit sanctificans, per quem Deus super omnia, & in omnibus cognoscitur.*

## LIII.

## Synodus Nicena conuocata contra Arium.

*Huic interfuit Athanasius, vt testatur Rufinus Ecclesiastica historia libro 10. cap. 14. Igitur apud Alexandriam defuncto Alexandro, Athanasius susceperat sedem. Quòd verò esset acris ingenij, & in Ecclesiasticis negotijs apprime vigilans, satis iam tunc hereticis innotuerat, quum ad concilium Nicenum cum Episcopo suo sene Alexandro venerat, cuius suggestionibus hereticorum doli ac fallaciae vigilanter deregebantur. Oportet igitur verba Symboli Niceni: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, visibilem omnium & inuisibilem factorem. Et in vnum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, Filium Dei de Patre natum unigenitum, id est, de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, *ἐκ τοῦ πατρὸς* Patri, hoc est, eiusdem substantiæ cum Patre, &c. Oportet inquam verba eius Symboli intelligere sicut Athanasius, Eusebius Palestinus, & alij qui interfuerunt Synodo, exposuerunt. Nam quum Arius verba Niceni Symboli pro sua doctrina interpretaretur, coactus est Athanasius in suo Symbolo veram sententiam explicare. Quare facile intelligi potest Gentilem Arianum esse, cum reiiciat Symbolum Athanasij, in quo dicitur, Quicumque vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem: quam nisi quis integram, inuiolatamque serauerit, absque dubio in aeternum peribit. Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem veneremur. Hanc fidem Gentilis dicit esse humanum commentum, ignotum sacris literis & Catholicis.*

## LIIII.

*Quum autem ex omnibus qui sequuti sunt Apostolos, vsque ad Nicenam Synodum scriptura interpretibus probatum iam sit, eos sic intellexisse Symbolum Apostolorum, vt Athanasius illud exposuit, & hanc suam interpretationem*

ex dictis Prophetarum & Apostolorum confirmasse, nihil iam restat, nisi ut addamus testimonia interpretū scripturæ, qui sequuti sunt Synodum Nicenam, & ex illorum dictis atque Ecclesiæ perpetua inuocatione impudentia Gentilis mendacia refutemus.

## LV.

Et quidem Basilius eorum testimonia qui eum præcesserunt colligit, inter quæ etiam illud est Eusebij Palestini: Sanctum Deum, lucis cõditorem per Salvatore[m] nostrum Iesum Christum, cum sancto Spiritu inuocantes.

## LVI.

Idem Basilius ex verbis Christi, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, sic colligit: Baptizari oportet ut accepimus, credere autem ut baptizamur, glorificare etiam ut credimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Huc pertinet disputatio Basily contra Eunomiū. Et fratris eius Gregorij, qua disertissime exponit & clariss. ac firmiss. refutat errorem Gẽtilis. Hæc nunc edita est à clariss. & doctiss. viro, D. Ioach. Camerario, Græcè & Latine, & ab eodem typographo, à quo hæc nostra eduntur, expressa. Ideo hortor ut lector eam sibi comparet, & Gregorij refutationem legat. Nam Gentilis contendit vnum Deum non posse dici aut esse ἀγνοῦντος ἀγνοῦντος, & hæc duo ait significare diuersas essentias, sicut Eunomius.

## LVII.

Hilarius libro tertio ex dicto Mosis in Genesi: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, probat vnum Deum, & distinctas personas, libro secundo & tertio De Trinitate, ut docet Longobardus in suis sententiis. Ambrosius verba baptismi, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti sic exponit: In nomine, & non nominibus, ut vnitas essentia ostēdatur, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres esse personas.

## LVIII.

Augustinus libro primo De Trinitate: Omnes Catholici tractatores, qui de Trinitate (quæ Deus est) scripserunt, hoc intendunt secundum scripturas declarare, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus vnus sint substantiæ, & inseparabili æqualitate vnus sint Deus.

## LIX.

Hæc doctrina confirmata est in omnibus Synodis, ut in sexta dicitur: Hic status est Euāgelicæ atque Apostolicæ doctrinæ, regularisq[ue] traditio, ut inseparabilem Trinitatem, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnus Deitatis, naturæ & substantiæ siue essentiæ, vnus eiusdēque prædicemus & naturalis,

*naturalis, volūtatis, virtutis, operationis, dominationis, maiestatis, potestatis, & gloria, & quicquid de eadem sancta Trinitate essentialiter dicitur, singulari numero, tanquam de vna natura trium substantiarum personarum comprehendamus regulari ratione instituti.*

## LX.

*Ex his facile conspicitur, quàm impudens & impium sit mendacium Gentilis, quo dicit, Deum Trinitatem esse humanum commentum, ignotum Catholicis: & Deum Trinitatem significare aliud quàm tres personas, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ac Trinitatem esse nomen substantiale, & ex eo probari quartam in Trinitate personam, & quartam substantiam distinctam à Patre, Filio, & Spiritu sancto.*

## LXI.

*Refutantur hæc mendacia ex inuocatione Ecclesiæ Catholicæ*

*Pater de cælis, Deus.*

*Fili Redemptor mundi, Deus.*

*Spiritus sancte, Deus.*

} *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.*

*Item, Te Deum verum vnum in Trinitate, & trinum in vnitae, venite adoremus. Et,*

*Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum: Sanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde, & ore confitemur, laudamus atque benedicimus. Et,*

*Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Te æternum Patrem omnis terra veneratur. Tibi omnes Angeli, tibi cæli & vniuersæ potestates. Tibi Cherubin & Seraphin incessabili voce proclamant, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth. Pleni sunt cæli & terra maiestatis gloria tuæ. Te gloriosus Apostolorum Chorus. Te Prophetarum laudabilis numerus. Te Martyrum candidatus laudat exercitus. Te per orbem terrarum sancta conficitur Ecclesia, Patrem immensæ maiestatis, venerandum tuum verum, & vnicum Filium. Sanctum quoque Paracletum Spiritum. Et in præfatione Eucharistica: Qui cum vnigenito Filio tuo vnus es Deus, vnus es Dominus. Non in vnus singularitate personæ, sed in vnus Trinitate substantiæ. Quod enim de tua gloria reuelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionem sentimus, vt in Cõfessione veræ sempiternæque Trinitatis, & in personis proprietates, & in essentia vnitates, & in maiestate adoretur æqualitas.*

## LXII.

Quod autem Gentilis ait, Trinitatem esse nomen essenziale, & significare substantiam distinctam à tribus personis, & quartam in Trinitate personam, refutatur ab Augustino dicente: Præterea est unum nomen quod de nulla persona singulatim dicitur, sed de omnibus simul, ut Trinitas, quod non dicitur secundum substantiam, sed quasi collectivum pluralitatem designat personarum. Et lib. 9. De Trinitate: Quapropter credamus Patrem, & Filiū, & Spiritum sanctum unum esse Deum, uniuersæ creaturæ conditorem, & rectorem, nec Patrem esse Filium, nec Spiritum sanctum, vel Patrem vel Filium Trinitatem relatarum adinuicem personarum.

## LXIII.

Vt enim ipse in libro De fide ad Petrū ait, Vna est natura seu essentia Patris & Filij, & Spiritus sancti, non una persona. Si enim sic esset una persona, sicut est substantia Patris, & Filij & Spiritus sancti, veraciter Trinitas non diceretur. Rursus quidem Trinitas esset vera, sed unus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater, & Filius & Spiritus sanctus, personarum sunt abinuicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum diuersitate discreti. Fides autem Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, unum Deū prædicat Trinitatem esse.

## LXIIII.

Gentilis ait, se mediū inter Sabellium & Arium tenere, & neque ponere Deum trinomium, ne videatur cum Sabellio sentire, neque tripersonatum, ne cum Ario: sed affirmare Patrem esse unum Deum, non numero, aut natura, ut Arius, sed ratione originis. Filiū autem & Spiritū esse quidem natura Deum, cum Filius per generationem, Spiritus sanctus per processionem sit ex immensa & infinita vnus Dei Patris substantia, à qua nec demones eximi possunt. sed se non posse fateri Filiū & Spiritum sanctū esse unum cum Patre Deum, ideo quòd sint tres res subsistentes, rationales, & intelligentes, & repugnantia sit in adiecto, eundem Deum esse Patrem & Filium, & quod scriptura ubique vocet unum Deum Patrem omnipotentem, & unum Dominum Iesum Christum. Et hanc esse doctrinam Tertulliani.

## LXV.

Sed supra induxi Tertullianum ex claris scripturæ testimoniis probantem, Patrem & Filium esse unum Deum, propter unam eandemque diuinæ naturæ essentiam, & alicubi dici duos non statim, sed gradu, hoc est, ut Pater sit prima in Trinitate persona, Filius secunda, Spiritus S. tertia: & tamen Filius

vnione

unionem diuinitatis à Patre separari non possit, sed indiuiduum & inseparatum, (ut Tertulliani verbis dicam) cum eo Deum esse, vel, ut Ecclesia nunc loqui nos ex scripturis docuit, unum Deum, & distinctam à Patre personam.

## LXVI.

Quod si pleno ore Gentilis fateretur, Patrem & Filium & Spiritum S. esse tres ὁμοούσιος, id est, personas subsistentes in vna diuina natura siue essentia, & Filium alium dici à Patre, id est, aliam ὁμοούσιον à personâ Patris, & ideo dictum esse, Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum & Spiritus S. & ij tres unum sunt natura & diuinitate, vel vnus Deus, quod idem est, quia Deus est nomen essentia & natura: & in hanc sententiam Trinitatem dici unum Deum, id est, ὁμοούσιος Patris & Filij & Spiritus S. habere eandem diuinitatem, iam inter nos conueniret. Sed quia contendit Deum Trinitatem esse humanum commentum, ignotum scripturis, & Ecclesia, & negat Filium posse dici vnū cum Patre Deum, propter eandem diuinam naturam & essentiam: sed tantum dici Deum ratione originis, id est, quod ab vno Deo habeat originem, & sit ex immensa eius infinitaque substantia, à qua nihil quod subsistit serungi potest, ac ne demones quidem, nisi voluntate, ipse se prodit, quod eligat sibi nouam formam doctrinae, & omnino constituisse ex Ecclesia discedere, imitatione ambitionis eorum, qui vsuatam & receptam doctrinam, & definitiones Ecclesiasticas non ex ignorantia, sed scientes & volentes oppugnant, ut clari & celebres sint. Nam scripturae, quas citat, nihil pro ipsius dogmate faciunt, & ratiocinationes eius nullae sunt, ut prius ex Ignatio, Iustino, Ireneo, Tertulliano, Cypriano, Clemente Alexandrino, & aliis qui praecesserunt Synodum Nicenam demonstrauimus, & nunc quoque ex illis qui hanc sequuti sunt, ostendemus.

## LXVII.

Sic enim ratiocinaris: Ille solus vnus est Deus, qui est à nullo principio, & à quo sunt omnia: Sed solus Pater originem nesciēs, est omnino infinitus, principium sine principio, causa causarum, author & monarcha omnium: Igitur solus est vnus Deus. Expectabam ut clarè dices, solus est Deus. Hoc enim vis, etiamsi negas, te excludere à diuinitate Filium, sed ab unitate cum Patre.

## LXVIII.

Ad hoc argumentum Praxeae supra responsum est per Tertullianum, Monarchiam seruari per ἐνωπιότητα, & non tantum per solitudinem. Et nunc respondeo, & distinguo Maiorem. Si enim intelligatur de rebus à Deo conditis, vera

est. Si autem de Filio genito à Patre, & Spiritu sancto ab utroque procedente, falsa est.

## LXIX.

Ad probationem maioris: Deus clamat per Esaiam: Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus. Hoc solum competit Patri, qui Filij & Spiritus sancti est essentiator. Quomodo enim Filius dicet, Et absque me non est Deus?

Agnosco argumentum Arii. Si Deus Pater genuit Filium Deum: Igitur genuit seipsum Deum, aut alium Deum, non seipsum Deum. Nihil autem gignit seipsum, Ergo alium Deum. Respondeo ex Ambrosio: Dic mihi, heretice, fuitne quando omnipotens Pater erat Deus, & Pater non erat, & postea factus est, Igitur generationis accessione mutatus est? Ego Filium esse natum confiteor, quod reliquum est impietatis horresco. scriptum enim est in Esaiâ, Ante me non fuit Deus, & post me non erit. Quis ergo hoc dicit? Paternè an Filius? Si Filius ante me non fuit, alius Deus, inquit, Si Pater post me nõ erit, hic priorem, ille posteriorem non habet. Inuicem in se, & Pater in Filio, & Filius in Patre cognoscitur. Quum Patrem nominas Deum, Filium designasti, quia nemo est ipse sibi Pater. Quum Filium nominas, etiam Patrem fateris, quia nemo sibi ipsi Filius est. Itaque nec Filius sine Patre, nec Pater esse poterit sine Filio. semper ergo Pater, & semper Filius est, & uterque semper vnus sunt Deus. Quod autem dicis Patrem esse Filij essentiatorem, insidiosè & impiè dicitur. Etsi enim Pater gignit Filium, non tamen gignit essentiam, sed personam, neque est origo, neque principium, neque causa, neque essentiator essentia Filij, sed personæ. Alioqui ipse sibi esset essentiator, quia eadem est essentia in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, & tota in tribus & singulis personis. Vt enim Hilarius lib. 7. De Trinitate ait: Quod etiam ex viuo viuum natum est, habet natiuitatis perfectum sine nouitate natura. In Deo enim totum quod est viuit, Deus enim vita est, & ex vita nõ potest esse nisi viuum: neque ex deriuatione, sed ex virtute natiuitas est, ac si totum quod est, viuit, & quum totum quod ex eo nascitur virtus est, habet natiuitatem Filius, non deriuationem aut demutationem. Patrem, inquit Hilarius libro 4. De Trinitate, in Filio, & Filium in Patre esse, plenitudo in utroque diuinitatis perfecta est, quia plenitudo diuinitatis in Filio, quod in Patre est, hoc & Filio est, quod in ingenito est, hoc & genito, alter ab altero, & uterque vnus, is scilicet qui est nihil habens quod non sit in eo etiam, à quo est, non duo vnus, sed alius in alio, quia non aliud in utroque, vt vnus sint in fide nostra, utque non vnus, nec

cundem

eundē utrūq; nec aliud cōfitemur, quia Deū ex Deo natū, nec eundē natiuitas, nec aliud esse permittit. Eandē ergo in utroque, & virtutis similitudinē & deitatis plenitudinē cōfitemur: quia veritas dicit, Ego in Patre, & Pater in me est. Omnia enim Filius accepit à Patre. Nam si partē eiusdem qui genuit accepit, Neuter ergo perfectus est. Deest enim ei vnde decessit, nec plenitudo in eo erit, qui ex portione constiterit. Neuter ergo perfectus est si plenitudinem suam, & qui genuit amittit, nec qui natus est consequitur. Fateamur igitur quòd Pater est in Filio, & Filius in Patre, & Deus in Deo, non per duplicem conuenientiam, generum conuenientiam, nec per insititiam capacioris substantiæ naturam, sed per naturæ veritatem, similitudinem per natiuitatem viuētis, ex viuente natura, dum res non differtur, dum naturam Dei non de-generat natiuitas, dum non aliud aliquid ex Deo quàm Deus nascitur.

## L X X.

Ad dictum Mosis, Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus vnus est. & dictum Malachia: Nunquid non vnus Pater omnium nostrum? respondet Augustinus. Non potest dici trinitas Pater, nisi forsan transitiuè ad creaturam ratione creationis. Quod enim scriptum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, non vtiq; excepto Filio, & Spiritu sancto oportet intelligi, quia rectè Dominum Deum nostrum dicimus etiam Patrem nostrum per gatiā, & regenerationem.

## L X X I.

Ad sententiam Apostoli, Nobis autem vnus est Deus Pater ille à quo omnia, nihil opus est responsione, quia continuo sequitur, Et vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per illum, ex quo sequitur, Dominum nostrum Iesum Christum vnum esse cum Patre Deū, à quo nos sumus conditi.

## L X X I I.

Ex alio loco Pauli: Vnus Deus & vnus mediator hominum homo Iesus Christus, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium: manifestè colligitur, personam Filii discerni à persona Patris, propter incarnationem: ceterum esse eundem cum eo Deum, quandoquidem vnum est baptisma quo baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & confitemur nos credere in vnum Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Ad illa quæ profert ex Ignatio & Tertulliano, supra responsum est. Sed illud ad finem taxandum putauit, Christum ideo dici Deum, quòd sit ex immensa Dei substantia, à qua nihil quòd extat separari potest, ac ne demones quidem, nisi quantum ad voluntatem. Hæc enim vox non Christiani ho-



minis mihi videtur ac memini Seruetum docere, Christum esse natura filium Dei, quòd Deus ex sua substantia guttas quasdam roridas demiserit in uterum virginis, ut contendat, Deum esse corporeum, sicut Mahometus. Quod si ex eius es schola, & ita sentis, sicut scribis, nihil quod extat separari posse ab immensa Dei substantia, ac ne demones quidem, Et Filium ideo verum dici Deum, quia est de substantia Dei infinita, ex qua sunt omnes creaturæ, deterior es Ario, & indignus cui à Christianis respondeatur, & simpliciter tibi dicendum: Increpet te Sathan Dominus, qui ante non es veritus dicere, quòd Filius Dei in Beelzebub principe demoniorum eiecisset demones, & eius diuinitatem ambiuisti ante conditum mundum, & primos homines ambire fecisti, & ab eo petiuisti ut te adoraret, pollicitus regna mundi, quæ idololatriis, qui te pro Filio Dei adorant, partiris.

## LXXIII.

Sed scripturæ & sancti patres longè aliter de substantia Dei docent, & definiunt: Deum esse essentiam spiritualem, æternam, simplicissimam, incommunicabilem, cui nihil creatum admixtum est, infinitæ potentie, sapientie, & bonitatis. Patrem æternum, qui ab æterno genuit sibi Filium coæternum ἀπαρχα τῆς θεότητος καὶ παραλήβα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Et Spiritum sanctum paraclitum, ut antè in expositione Symboli ex Cypriano ostendi.

## LXXIII.

Tu conaris hanc collectionem eludere, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, & nò sunt tres Dij. Igitur sunt vnus Deus, quòd quidem scriptura dicit, Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus. Sic in quæ conaris hæc eludere. Rectè inquis scriptura dicit, Si tres vnus sunt, non vnus, quia tres substantiali numero sine contradictione in adiecto, vnus numero dici non possunt. Quod si Pater, Filius & Spiritus sanctus vnus simpliciter non sunt, nec dicuntur vnus: similiter quoque cum adiuncto non sunt nec dicuntur vnus Deus. Imo inquit Ambrosius libro De trinitate: Quod vnus est substantiæ separari non potest, etsi non sit singularitatis sed unitatis Deus. Vnus enim quum dicitur, nequaquam Deitatis trinitatem excludit. Non est diuersa, vel singularis æqualitas, nec iuxta Sabellianos Patrem Filiumque confundens, nec iuxta Arianos, Patrem Filiumque secerne: Pater enim & Filius distinctionem habent, separationem non habent. Pater & Filius diuinitato sunt vnus, nec est ibi substantiæ differentia, nec vlla diuersitas, alioqui quomodo vnus Deum dicimus?

Hoc

LXXV. *pono nomina*

Hoc testimonio Ambrosii, quem Ecclesia catholica pro vero interprete scripturæ agnoscit, tota tua sophistica refutatur, & confirmatur vera Symboli expositio.

## LXXVI.

Te quoque mentiri, quum ais inter Arium & Sabellium media via incedere, demonstrat Hieronymus, & ostendit quæ via sit, qua inter heresiarchas medius tutissimus ibis, scribens ad Alypium & Augustinum catholicæ fidei columnas: Non enim, inquit, proffusus aliquis est in trinitate gradus, nihilque quod inferius, superiusque dici possit: sed tota diuinitas sui perfectione æqualis est, ut exceptis vocabulis, quæ proprietatem indicant personarum, quicquid de vna persona dicitur, de tribus possit dignissimè intelligi. Atqui ut consuetantes Arium vnã eandemque trinitatis essentiam vel substantiam, & Deum vnum in tribus personis fatemur: ita etiam impietatem Sabellij declinantes tres personas expressas, sub proprietate distinguimus, non ipsum sibi Patrem, non ipsum sibi Filium, non ipsum sibi Spiritum sanctum esse dicentes. aliam Patris, aliam Filii aliam Spiritus sancti esse personam. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas, vel, ut Græci exprimunt *ὄρος ἀόεις*, substantiasque confitemur. Nec Pater Filij, vel Spiritus sancti personam aliquando excludit, nec Filius vel Spiritus sanctus Patris nomen, personamque recipit: sed Pater semper Pater, & Filius semper Filius, & Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Itaque substantiã vnum sunt, sed personis & nominibus distinguuntur. Hæc Hieronymus.

Hæc visum est hoc tempore ita proponere, ut distincta capitibus certius cognosci, & de his consuetudine Academiæ nostræ disputari posset, quo æterna Veritas patefacta verbo Dei & declarata scriptis sacrarum literarum, magis & illustrius emineret. Undique enim huic vel insidiæ struuntur, vel manifesta bella inferuntur, dum ab aliis veteres hæreses renouando ventilantur, ab aliis detecti errores decernendo stabiliuntur. Sed pro illa piis & religiosis multò acrius quam pro aris & focus, ut dicitur, propugnandum est. Hæc enim labefactata cetera ruunt omnia. Atque oportebat sanè accedere ad doctrinæ puræ & sincerae integritatem, vitæ quoque & morum sanctitatem, & disciplinam eam, quam doctrinæ illa requirit. Cuius rei necessaria inprimis negligentia animadversionem scilicet Dei commouet, permittentis nos tam grauiter tentari, & punientis oblivionem maximorum beneficiorum, quæ in nos clementissimè contulit. Restat igitur ut vnusquisque non sit tantum verbis

Et oratione, sed efficacitatem quoque Et studio Christianus, ne temere Et falso tam gloriosum nomen usurpetur: sed ut omnibus consiliis factisque Et dictis nostris aeternus Pater Domini Et saluatoris nostri, IESU CHRISTI Filii unigeniti, una cum sancto Spiritu, trinitas hæc una Deitas, id est, ut Gregorius Nassansenus cautè est loquutus, ἐν ἑν τοῖς, τρισὶ, καὶ ἑπτα ἐν, id est personæ tres, Deus vnus, solus, verus, sanctus, fortis, immortalis, iustus, misericors, celebretur Et glorificetur in secula seculorum. Amen.

DE VNITATE ESSENTIA  
Diuinæ, Et tribus in ea subsistentibus personis,  
aduersus Arianos ὁμοιωσις.

Ministorum Geneuensium Epistola.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI NICO-  
LAO RADZVILLO, DEI GRATIA IN OLIKA ET  
Niešvvesch Duci, D. in Kleczko & Grodeck, Palatino Vilnen-  
si, Magni Ducatus Lithuaniae supremo Marschalco & Archi-  
cancellario Brestensi, Cauionensi, Borissouieni, Schmolenski-  
Capitaneo generali.

**I**llustrissime Princeps, binas à Celsitudine tua literas vno tem-  
pore accepimus, vnas D. I. Caluino, beatae memoriae viro, alteras  
nobis inscriptas, vtrasque copiose Et eleganter scriptas: quibus  
quòd tam serò respondeamus, rogamus C. T. ut neque negligenti-  
æ; neque vlli alii rei tribuat, quàm tabellariorum à nobis Tubingam, vnde  
missæ sunt ad nos literæ, commeantium penuriæ. Quòd verò in re tam graui,  
tamque seria, adeo paucis respondeamus, hæc sunt causæ.

Legimus, idque non sine horrore, quæ Gregorius Paulus Casanonijs, Et  
alii nonnulli à Blandrata Et Gentile fascinati, tres personas, siue ὁμοιωσις  
in tres numero οὐσιὰς siue essentias transformantes, varijs libellis scripserunt:  
in quibus tam multa tum ambigua tum etiam ἀνοήσια comperimus, ut de eo-  
rum dogmatibus Et argumentis ne nunc quidem penè nobis liqueat.

Literæ verò tuæ, quantum multò clariùs perscriptæ, tamen nostræ ruditati, ut  
ingenuè cum T. C. loquamur, non per omnia satisfaciunt, præsertim in tertiæ il-  
lius conciliatoriæ sententiæ explicatione: quam si rectè intelligimus, putamus  
ab illa

ab illa sue Gentilitia, sue Gregoriana parum admodum disfidere.

Itaque quum de rebus ipsis, ac multo minus etiam de aduersariorum argumentis nondum ita nobis constet, quin merito vereamur ne videri possimus vel de rebus non controuersis frustra laborare, vel non satis appositè aduersariorum sententiam oppugnare, quæ res posset istas infelices contentiones potius accendere quam extinguere: ac præterea etiam quum res ipsa ostendat, scribendis vltro citroque tam multis, crescere potius altercationes, quam imminui, dum vnusquisque quod semel scripsit non patitur reprehendi: idcirco priusquam iustum ad singula responsum edamus, hoc à T. C. pro Christi nomine flagitamus, vt istos quibus non placet hæc propositio, PATER, FILIUS, SPIRITVS SANCTVS SVNT VNVS ET IDEM DEVS, huc adigas, vt totū suū dogma tū de essentia, tū de hypostasibus sigillatim, clarè, & distinctè, certis & perspicuis thesibus perscribat: deinde suas etiā rationes tū ex Dei verbo, tum ex patrum Græcorum & Latinorum scriptis descriptas adiciant, atque etiam si libebit, nostrorum argumentorū, quæ non ignorāt, refutationes.

Nam ita demum fiet, vt & plenius & certius respondeamus: quod quum etiam si T. C. a nobis pro suo in patriam atque adeo in totam Ecclesiam studio non petisset, vltro facturi essemus: multo nunc etiam à T. C. interpellati, libentius ac diligentius pro modulo gratia nobis a Deo Opt. Max. concessa facere omnino decreuimus.

Interea vero ne nos arbitrentur nonnulli vel tergiversatione, vel astu aliquo responsum differre, palam testamur apud C. T. Illustrissime Princeps, nos per Dei gratiam in vera & orthodoxa sententia de Patre, Filio, & Spiritu sancto, tribus quidem numero & re ipsa distinctis personis, & imò nihilominus ac eodem secundum essentiam Deo, non modo perseuerare, sed etiam magnopere perlectis istorum commentis fuisse confirmatos.

Quid enim ineptius, imò vero quid magis impium, quam simplicissimam infirmitatem numero multiplicare?

Itaque est quidē horrenda Iudeorū cecitas, qui indistincta ioclar statuunt, & execranda Sabellii impudētia, qui personas sic cognoscit, vt verbo tenus nō re distinguat, & horrenda Arianorū blasphemia, quorū alii repaſionem, alii quorūdam Christum constituit: quod vidē Macedoniani de spiritu sancto docuerunt.

Sed omnes istos quantumuis detestabiles, minus tamen absurdè, quam olim Seuerianos, & nunc istos de quibus agimus, loquutos fuisse arbitramur.

Retinent enim illi hoc fundamentū, vnicum esse Deum sicut vnica est eius essentia, cuius realem in tres personas, absque essentia diuisione, distinctionem

quum solum Dei verbum declaret, ex eo autem sapere illi recusarint, non mirum est eos istam personarum distinctionem non tenuisse.

Isti verò quid tandem discerpta in tres deos diuina essentia, integrum in Religionis fundamento relinquent?

Libenter tamen nobis persuaserint sese multitudinē deorū vitare, si dixerint, Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum, id est, vna diuina natura, siue essentia. Quasi verò etiāsi (exēpli causa) Petrus, Ioannes, & Iacobus dicantur vnum esse specie, idcirco tres homines non statuuntur.

Quid igitur attinet tergiversari, & cur nō potius liberē & ingenuē proferrunt quod ex eorū dogmate profusus cōsequitur, nimirum vnā quidē esse diuinitatem, sed tres deos, & quidem inter se impares, quum manus sit esse à seipso, quā habere suum esse ab alio, siue precario Deum esse?

Certē vel vnicū numero Deū constituā oportet, vel plures. Si vnicū, quā de re digladiātur? Sin plures (denudata videlicet Filii essētia à Patris essentia, vt sint dua numero essentia) quā frōte audebūt negare se plures numero deos statuerē?

Itaque si istis credimus, nō erant simpliciter accusandi veteres illi idololatrae, quod multos deos colerent, sed quod plures tribus, & quidē falsos deos colerent.

Iam verò ista essentia diuina multiplicatio siue in duos (audimus enim iā etiam Spiritum sanctū à quibusdā illorū expungī) siue in tres deos, quomodo cū altero ipsorum dogmate conuenit, quaecunque videlicet de vno & solo Deo in Scripturis dicuntur, nec de Filio, nec de Spiritu sancto esse intelligenda?

Nā si vnus & solus Pater est Deus, consequitur Filium vel Deū non esse, vel alio genere diuinitatis Deū esse, quā Patrē, qui est. Arianorū error: sicut finato Abele, solus & vnus. Adā erat homo, Abel filius eius vel homo nō erat, vel alia humana natura, quā pater ipseus prāditus, ac proinde specie differēs.

Quod enim respondent, solum Patrem esse adūtor, id est, vt interpretantur, à seipso suum esse habere, ac proinde solum Deum dici, quā inepre dicitur?

Nam à se vel ab alio esse aliā natura speciem non constituit: ac proinde Pater ob illam causam solus & vnicus Deus esse dici non potest nec debet, sed solus & vnicus Pater, sicut solus & vnicus Filius, quia vnigenitus.

Nec tale quidquam quale isti comminiscuntur Apostolo in mentem venit, quum vnum solum Deum Patrem, & vnum ac solum Dominum Iesum Christum vocaret, sicut copiosius aliquando, fauente Deo, declarabimus.

Quod porro nos vt Sabellianos accusauit, quo tandem iure faciūt? Sabellio Essentia & Persona nomina confundenti, Pater, Filius, & Spiritus sanctus erat vnus, qui nobis tres sunt, sunt incommunicabilibus proprietatibus vere & re ipsa distincti.

distincti. Quæ igitur inter illum & nos affinitas? nempe quæ inter tenebras & lucem.

Nec enim hæ duæ enuntiationes, PATER, FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS SVNT VNVS, & PATER, FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS SVNT VNVS DEVS, idem declarant. Illa enim personas confundit, quod est Sabellianum: ista verò docet sic distingui personas, ut singule in vna eademque diuina essentia subsistant: ac proinde singule sint non tantum vna diuinitas, sed etiã vnus & idẽ numero Deus, cuius in vno Deo triplicis subsistentiæ ordo à Patre incipit, & in Spiritum S. desinit.

Itaque quum nos irident isti quasi contradictoria loquentes, quum tres vnum esse dicimus, vix responsionem merentur. Neque enim dicimus tres personas esse vnã cum Sabellio, sed hypostasēs in vna essentia ex verbo Dei distinguimus proprietatibus & numero.

At enim, inquit, non dicitis VNVM, sed VNVS: Imò verò non dicimus simpliciter VNVS, sed cum adiectione, VNVS DEVS, respectu videlicet vnius eiusdemque essentia, in qua tres illi sic subsistant, ut nec diuisi sint, nec etiã coniuncti, siue cõuersi: sed ita suis proprietatibus incõmunicabilibus re ipsa distincti, ut quilibet trã alius sit secũdũ hypostasim, quàm reliqui duo: & tamẽ quia in tota eademque essentia subsistit, ideo sit vnus & idẽ Deus atque reliqui duo.

Nec aliud intellexit Nicenum Concilium, licet ambigua loquutione, quum scriberet DEVM DE DEO, non ut duos deos constitueret, siue aliquam deitatem ex deitate deduceret: sed simpliciter ut essentia identitatem in duabus personis aduersus Arium assereret.

Sic Ioannes, V. verbum quod Deus erat apud Deum, in principio fuisse scribit, non duas numero essentias, sed duas in vna & eadem essentia subsistentes personas declarans.

Nec alio sensu Hilarius (quem vnus isti authorem laudant) illud, VNVS EX VNO, TOTVS EX TOTO, PERFECTVS EX PERFECTO, sic inculcat, ut tamen non modò duplicem diuinitatem, sed etiã duos numero deos esse neget: quoniam videlicet sic Filius est alius à Patre, atque adeo secundus ordine, quatenus est genitus, ut tamẽ quia totus in vna eademque essentia subsistit, sit vnus & idẽ atque Pater, quatenus est Deus.

Qua ratione verò in speciebus creatis similiter nõ eueniat, sic etiã T. C. accipiat. Species create, ut homo, etsi secundum formam diuidi non possunt, tamẽ quoniam indiuiduis quãtitatiuis (ut ita loquar) substernuntur, idcirco secũdum quãtitatẽ re ipsa diuiduntur. Itaque (quod dictũ sit exẽpli causa) Petrus, Ioãnes, Iaco-

bus, quavis forma illa vniuersali & specifica vnum sint, tamen non vnus homo, sed tres homines dicuntur: re ipsa nimirum, non tantum suis proprietatibus incommunicabilibus distincti, sed etiam sua quantitate diuisi. Sic Gabrielem, Raphaelē, & Michaelē nō modo tres distinctas vnus Angelicæ naturæ hypostases, sed etiā tres spiritus esse dicimus: quia etsi non quantitate corporea, substantiæ tamē proprietate finiti, re ipsa inter se secernuntur. At in diuina essentia omnib<sup>9</sup> modis simplicissima, & actū infinitissima, nec diuisioni nec cōpositioni locus esse potest, sed sola distinctioni, quam nobis nec caro nec sanguis, sed Filius ipse patefecit.

Quæ autem est ipsius naturæ, eadem quoque est eorum ratio, quæ absolute de ea prædicatur: ac proinde singula personæ sunt vnus & idem æternus, immensus, infinitus, & omnipotens Deus.

Itaque quum apud illum & re & nomine Gentilē in illo aduersus Athanasium libello plures æternos & omnipotentes legeremus, agnouimus in illo implem esse quod fore prædixit Apostolus, nempe vt eiusmodi homines in reprobam, siue in omnis sensus ac iudicij expertem mentem traderentur.

De his autem quæ per relationem prædicantur, & eam quidem eiusmodi, vt vobis apud istos non sita describant, aliter sentiendum: quoniam, vt aduersus Praxeam recte declarat Tertullianus, hæc est relationum natura, vt neque eadem, neque alterum absque altero esse possit.

Quaternitatem denique qua tandem fronte nobis imputant? Somniant enim (quod libro 4. satis tamē obscure arguit Hilarius) nos per se vnū nescio quid seorsim Patre, Filio ac Spiritu sancto antea significare quod sit in sese De<sup>9</sup>, vt sit hoc modo quartus quidam communis Deus, ad quem tres illæ personæ adiungantur, vt sic quatuor euadant certe tres illæ personæ tanquam totius partes illud commune constituent.

Illud autem commentum quam sit insipidum, vel ipse sensus communis in rebus naturalibus docet. Neque enim per se vniuersalia quæ vocant, existunt, sed hypostases in ipsis subsistunt. Nisi fortē isti humanam naturam extra sua indiuidua tanquam vnum quidpiam numerent: ita vt ad indiuidua accedens eorum numerum augeat.

Itaque sciāt illi nos, quæ essentiam diuinam nominamus, nō communē aliquem seu aggregatiuum Deum, sed id in quo toto & eodē singulæ illæ personæ subsistunt suis substantialibus proprietatibus, vt antea diximus, distinctæ, animo concipere: & ita quidē vt Trinitatis nomine non vnū comunem Deū seorsim, sed tres in vna essentia subsistentes personas intelligamus: quia sicut recte scri-

psit Gregorius ille Nazianzenus, nec vnã essentiã extra illas tres personas, nec tres personas extra totam illam eandem & vnã essentiã animo concipere possumus. Hinc etiam factum, vt rectè parens ille noster beate memoriæ D. Ioannes Caluinus, verus huius veritatis assertor, precationem illam, Sancta Trinitas vnus Deus, scripserit barbariem sapere: quoniam nimirum nisi dextra interpretatione molliatur, quiddam extra tres personas subsistens, aut ipsas tres personas componēs innuere videtur, ad illud vniuersale (quod tamen per se non subsistit, sed in quo potius tria illa subsistunt) inuocationem dirigens.

Quamquam aliud sensisse non dubitamus, qui sic primi suat loquuti. Hoc autem qui sic arripuerūt, vt T.C. scribit, magnam optimo viro iniuriam faciūt, & suam impudentiam apertè produnt.

Sed iam nobis videntur illi postulare, vt non rationibus, quas humanas vocant, sed ex verbo Dei pugnemus. Quasi verò tres personas, vnica numero manente ipsarum essentia, constituere, philosophicum sit commentum.

Ceterum dum plenum illud à T.C. responsum expectamus, vt singula verbi Dei testimonia accuratius explicemus, semel istis opponimus quacūque pro vno Deo aduersus eorum multitudinem in Scripturis dicuntur.

Et quoniam Filium & Spiritum sanctum non secus quàm Patrem adoramus, qui tamen vnum Deum iubemur adorare: idcirco Patrem, à quo tamen, vt principio, manat personarum distinctio, Filium & Spiritum sanctum sigillatim vnicum illum esse Deum credimus ac profitemur, qui solus est adorandus.

Solum Iehouam fuisse Israelis ducem testatur in cantico suo Moses: hunc autem apertè nominat Christum Paulus. Itaque non duos, sed vnum numero Iehouam esse fateantur necesse est, qui solus dux fuisse dicatur, quanuis alia sit Patris, alia magni ipsius Angeli persona.

Sed de his aliàs plura, vbi quod à T.C. petimus præstiterint. Nunc ad T.C. redeamus. Precamur Illustriss. Princeps, vt istos huc adigas, vt quam blasphemiam de pluribus numero diis iam pridem in animo habent, apertè tandem eloquantur.

Oportet, inquam, eos vel vnum eundemque Deum nobiscum fateri, vel plures ex vno deducere: ac proinde vni vero Deo, & omnibus eius sanctis execrabiles fieri.

Age igitur, probent apertè suum dogma, quod ex Philopono, Scuero, Damiano, & cæteris infelicis memoriæ monstris hausserunt, idque si possunt vel rationibus, vel ex Scripturis, vel Patrum veterisque Ecclesiæ consensu confir-



ment. Nos vicissim eandem conditionem accipimus: & nisi tam manifestè ipsorum blasphemiam patefecerimus quàm clarus est merities, tum demum, Illustriss. Princeps, pro pseudopropheta haberi ac traduci minimè recusamus.

Hilarium unum præ cæteris laudant, nempe quoniam nihil eo durius nec obscurius esse potest: quod tamen nulla ipsius iniuria dictum velimus.

Augustinum autem sine cõtrouersia optimum ac doctissimum scriptorem, atque adeo Hilarij σύγχρονον, cur tandem non admittunt? nempe quoniam illis est sophista: adeo ut Augustinianum quendam deum per ludibrium iactent. Atqui vel vnica ista vox, Illustriss. Princeps, sic mentes piorum omnium vulnerauit (ac meritò quidem) ut minimè miremur pios omnes qui nunc istic supersunt, ab istis non minus, quàm ab ipso diabolo refugere. Quis enim sano homini persuaserit aliter docuisse Augustinum de Trinitate, quàm Aphricanas Ecclesias? & istas rursus aliter, quàm catholicus consensus ferret sensisse?

Sunt quidem, fateor, sui in Patribus nauis (quis enim hoc neget) sed tales ut fundamentum diuinitatis saluum retineant: quo sublato, quam fuisse illorum fidem, & quam Ecclesiam arbitrabimur?

Itaque Illustriss. Princeps, dissimulare apud C. T. nec possumus nec debemus, inexcusabiles esse quicumque istiusmodi hominibus aditum istuc patefecerunt: quum præsertim & quis homo sit Blandrata, & quæ infamis ac periurii illius Gentilis impuritas publicis etiam scriptis mature ac verè simul simus testati.

Deinde etsi grauis & ardua imprimis est ista quaestio, tamen est ex earum genere, de quibus post innumera illa contra hæreticos certamina, nõ magis fas sit querere, quàm an sit aliquod numen, & aeterna vita ambigere.

Quòd igitur nunc adeò miserè non modò impeditur præclarum illud Domini opus, sed etiam vniuersum Polonia regnum tristissimis dissidijs laceratur, dolemus certè ex animo, & assiduis cum lachrymis deploramus. Interea tamen iustum Dei iudicium, sic quorundam quos minimè oportuit (quod sine conuitio dictum sit) curiositatem ac vanitatem iusta excacatione vindicantis, agnoscere & adorare cogimur.

Ipsius autem Regiæ maiestatis pium ac prudens consilium de blasphemis istis ex ditione sua semel quaqua ratione tollendis non aliter, quàm sancta illa Ezechiae, Iosiae, Aze, & piorum aliquot Regum Iudah edicta laudamus ac predicamus: modò ne hoc pretextu vera religio astutia quorundam damnetur, & qui ab istis fascinati in errorem abducti sunt, ab ipsis blasphemiarum authoribus ac defensoribus, sicuti par est, discernantur.

Priuos

Privatos autem fratres, ac imprimis orthodoxos Ecclesiarum Pastores hortamur in Domino, ut seditiones ac tumultus ab indiscreto zelo proficiscentes pro viribus impediunt: & memores non sibi, sed Magistratui gladium esse concessum. Spiritu oris Dei, fide, patientia, precibus aduersus istos animarum subuersores indefatigabili labore decerent.

Quod enim nonnulli quadam D. Caluini verba ex posteriore ipsius ad fratres Polonos Epistola detorserunt, quasi ad mutuas caedes eos hortaretur, est intolerabilis impudentiae calumnia.

Denique fortissimam illam Polonicam Nobilitatem, ac T. imprimis C. Illustrissimae Princeps, quem audimus pietate ac dignitate in Polonico regno excellere, per ipsum Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum unum Deum nostrum obtestamur, ut sibi ac patriae ab istis vastatoribus multò etiam studiosius ac fortius, quàm ab vllis Tartaris ac Moscovitis caueat: quod si fiat, tunc optima & maxima quaeque florentissimo Poloniae regno ominamur: quoniam scriptum est fore, ut Deus honoret à quibus honoratur. Sin minus (quod Dominus pro sua bonitate auertat) prospicimus maximo cum animi nostri dolore futurum, ut quibus olim claudibus caelestis ille Pater horrendas Arj presertim, Nestorij, Eutychetis, & aliorum eiusmodi, blasphemias vltus est, isdem quoque non dissimiliter peccantes inuoluat.

His autem malis impediendis libenter non tantùm operam nostram: sed etiam vitam, Dei gratia freti impendemus.

Quod superest, Illustrissimae Princeps, Dominum ac Deum nostrum precamur, ut afflictæ Ecclesiae suae misertus, Satanæ furores compeecat, omnes Ecclesias, ac Polonicas imprimis, in vero sanæ religionis consensu stabiliat ac confirmet, tuamque C. magis ac magis omnibus donis ad tanti regni pacem ac tranquillitatem necessariis pergat exornare. Geneuæ 14. Calend. Aprilis, M. D. LXV.

V. C. addictissimi Geneuensis Ecclesiae Pastores  
& Professores.

THESES SIVE AXIOMATA DE  
TRINITATE PERSONARVM ET ESSENTIALI  
Vnitate, Ex Theodori Bezae prælectionibus.

1. **V**era inuocationis Dei præcipua pars, est vera de Deo scientia: quia ritè non possumus adorare quod nescimus.
2. **V**era Dei cognitio ex ipsius verbo petèda est, quoniam plenè in eo nec alibi vsquam sese nobis patefecit ad salutem, adeò ut qui de Deo extra verbum ipsius sapit, nihil ad salutem sapiat.
3. **Q**uam Deus in scriptis Prophetarum & Apostolorum, non tantùm verissimè, sed etiam maximè propriè vocabulis & sententijs appositissimis seipsum mundo patefecerit: danda nobis est opera, ut non modò quod ad rem ipsam attingit intra Scripturæ fines maneamus, sed etiam formulas Scripturæ vsitatas mordicus retineamus.
4. **F**ecit tamen hæreticorum importunitas, ut vitædis eorum cauillis, aliqua interdum vocabula excogitanda fuerint: quod tamen temerè à sanctis Patribus non factũ est, sed summa potius religione, ita ut de Scripturarum sententia nihil profus imminueretur, nec quicquam in verbo Dei non arctur.
5. **H**æc causa fuit, cur olim aduersus Sabellium Afrum, qui personas cum essentia cõfundebat, & Samosatenum Anthiochenum, qui Filij diuinam naturam tollebat, vsurpata sint Græca nomina *ὁμοῦς* & *ὁμοούσιος* quorum tamen posteriore vsus etiam est author epistolæ ad Hæbreos, cap. 1. à quorum vocabulorum explicatione ferè pendet rota de his rebus controuersia.
6. **S**ciendum igitur Patres de diuinis mysterijs loquentes, hæc vocabula à rebus naturalibus esse mutatos, non quod res tam diuersis putarent iisdem vocabulis propriè exponi posse: sed ut imparium rerum aliqua collatione, res diuinas quodammodo nostris oculis subiicerent, & eos suis armis iugularent, qui Theologiam in philosophicas argutias transformabant.
7. **D**icimus ergo, quid sit *ὁμοῦς*, & quid *ὁμοούσιος* in rebus naturalibus, quantum quidem feret præsens argumentum, & postea quo respectu hæc eadem vocabula ad diuina mysteria transferantur.
8. **Q**uedam nomina sunt vniuersalis & indeterminata cuiusdam significationis, quæ pari ratione multis numero differentibus tribuuntur, in quibus cõmune quiddam contemplamur, quod inest quidem pluribus illis rebus de quibus pari ratione dicitur, sed tamen extra illas non subsistit, sicut etiam illæ non nisi in illo communi subsistant: ut quum hominem dico, nihil concipio propriè  
subsistens

subsistens per se, sed communem quandam naturam absque peculiari vlla determinatione mente cōplector, in qua pariratione Petrus, Paulus, Timotheus, & similia reliqua singularia subsistunt. Homo igitur est vocabulum significans ὁμοίαν, quæ hominis nomine declaratur.

Quoniam autem cogitatio ab illa vniuersalitate, postea ad singularia & 9 propria quædam delabitur, per quæ illæ res secernuntur, in quibus communis illa notio antea concipiebatur, quæque istis proprietatibus circumscripta subsistunt: idcirco inuenta sunt etiam nomina istis significandis accommodata, vt, Petrus, Paulus, Timotheus: quæ dicuntur nomina τῶν ὑποστάσεων, siue, τῶν ὑποκειμένων, id est, rerum suis proprietatibus definitarum, & in illa sua communi ἑστὶν subsistentium.

Hoc nomen Deus, declarat essentiam infinitam, æternam, sua ipsius vi nite- 10 tentem, omnipotentem, creatricem & conseruatricem rerum omnium conditarum, atque adeo in qua omnis perfectio residet: & quæ Deum nomino, essentiam illam intelligo indeterminatè, quæ communi ratione dicitur de suis hypostasibus in ea subsistentibus.

Hæ res istis nominibus significatæ, Pater, Filius, Spiritus sanctus, sunt ὑπο- 11 στάσεις, id est, proprietatibus distinctæ, & in illa cōmuni æternæque essentia ab æterno subsistentes, quia proprietatibus suis distinguuntur. Pater enim est ingenuitus, Filium gignens: Filius ex Patre genitus: Spiritus sanctus nec gignens nec genitus, sed à Patre & Filio procedens.

De procedendi & gignendi subtiliore differentia non laboro: & certè qui 12 de hac re litigarunt, inscitè torserunt Scripturæ locos, qui nihil ad eam rem faciunt. Nam quod alicubi dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre & Filio, ad manifestationem & dona refertur. Sufficiat communem esse Spiritum Patris & Filij, ac proinde ad vtrunque referri.

Quoniam res create finitam habet essentiam, idcirco necessariò finitæ sunt, 13 ac proinde non tantum suis proprietatibus distinctæ, sed etiam re ipsa separatæ sunt earum ὁμοίαν. Itaque Petrus, Paulus, Timotheus, quanuis communi ratione dicantur homines: tamen re ipsa nō sunt vnus homo, sed tres homines, ipsius etiam humanitatis respectu. Quoniam enim Patres non possunt totam suam essentiam cum filiis communicare, sed aliquid duntaxat, quod seminis rationem habet, ex ipsis excernitur, vnde manat filiorum essentia: ideo filij non habent eandem illam singularem humanitatem quæ est in Patribus, sed similem duntaxat, quæ ex illa effluxit, idcircoque singularis humanitas, vt pote finita, in diuersis subiectis esse non potest. Idcirco, inquam, omnibus modis tres

sunt, Petrus, Paulus, Timotheus, non vnus.

14 Sed in diuinis longè aliud est. Quoniã enim diuina essentia infinita est, & simplicissima & æterna, idcirco tres vnus deus in ea subsistentes, etsi verè sunt tres numero, quoniam singule suis incommunicabilibus proprietatibus distinguuntur, tamen non sunt nec dicuntur tres dii, sicut tres homines: quoniam nec Filius genitus est à Patre, nec Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, aliqua partis resectione, id est, κατά μέρος, ut quum res quæpiam in tria frustra diuiditur, neque fluxu quodam, hoc est, ἀπὸ φύσεως, qualis est liberorum procreatio ex paterno semine: neque productione, id est, πρὸ βολῆς, ut est propago in vitibus: sed ineffabili totius essentia communicatione ab æterno, in qua nullum dari punctum potest nec principij, nec mediij, nec finis.

15 Vna igitur & prorsus eadem est essentia gignentis, geniti, & procedentis, quanuis nec Pater qui gignit, sit Filius genitus, aut Spiritus procedens: nec Filius sit Pater gignens, aut Spiritus procedens: nec Spiritus Pater gignens, aut Filius genitus. Nec Deus ipse est trinomius, quum re ipsa, non autem nomine tenus subsistant tres personæ in vna essentia: nec triformis, quoniam proprietates personarum non sunt imaginaria accidentia, quæ adesse vel abesse possint, aut re ipsa, aut cogitatione, sed verè insunt personis, & illas distinguunt: nec etiam aggregatiuus, idque duabus de causis, quoniam hæ tres personæ ita sunt distinctæ, ut non sint separatæ: deinde quia in qualibet persona non est aliqua Dei essentia pars, sed tota essentia, eaque insecabilis, quia infinita.

16 Quod de vnitæte & identitate essentia dixi, necessariò etiam intelligitur de communibus eius attributis, ut sicut vnus Deus est, sic etiam vnus sit infinitus, æternus, omnipotens, &c.

17 Ὁμοίωσις, siue ὁμοίωσις, in rebus naturalibus dicitur indiuidua, quæ in eadem essentia seu specie conueniunt, ut homo cum homine, brutum cum bruto, stirps cum stirpe. Estque hoc vocabulum diuinis rebus accommodatum ad confutandos Arianos, qui Filium dicebant à Patre, non ex Patris substantia genitum, sed ex nihilo factum, atque ad eò participatione virtutis, nõ natura Deum. Aduersus istos igitur constitutum est Filium esse ὁμοίωσις, siue ἰσοουσις Patri: quo tamen nomine similem esse essentiam Patris essentia Filij, non simpliciter voluerunt dicere, sicut in rebus naturalibus (ita enim duæ numero essentia constituerentur, ac proinde duo numero dii, quod nefas est) sed potius duo exprimere voluerunt. Vnum, essentia nõ differre Filium à Patre, quoniam non ex nihilo, sed ex ipso Patre est genitus, idque ab æterno: quod alio nomine *cuuaidis* significarunt.

ficarunt. Alterum, ita esse ex Patre, quatenus est Filius, ut sit unum cum Patre quatenus est Deus, id est, essentiam Filij non esse secundariam quandam essentiam, que ab altera primaria ortu sui habuerit, quod vocarunt heretici ex traduce, & hodie quidam essentialionis nomine efferunt: sed eam ipsam essentiam totam, qua Pater Deus est, esse, Filium gignendo, à Patre cum illo communicatam, ut Pater & Filius quatenus in una eademque essentia subsistunt, siue unius eiusdemque numero essentia respectu, sunt unus idemque Deus, quum tamen Pater non sit Filius.

Merito igitur damnati sunt qui Filium vocabant ὁμοϊου, id est similis essentia, ut qui duas numero essentias instituerent: itemque Ariani reliqui qui ἑτεροϊου, id est alterius essentia Filium esse dicebant: & ut vitaretur eorum fraus qui ex ὁμοϊου unica literula interiecta ὁμοϊου faciebant, ceperunt patres ὁμοϊου per Crasin dicere, eadem manente sententia.

Itaque quum Filium dicimus esse unius essentia cum Patre, personas non autem essentiam distinguimus: est que hoc dicendi genus de communibus essentia attributis potius quam de ipsa essentia accipiendum: & maxime proprie loquimur, quum Patrem, Filium & Spiritum sanctum unum esse essentia dicimus, siue unam esse Patris, Filii, & Spiritus sancti essentiam.

Veteres his formulis vsi sunt, non ut pluralitatem essentiarum inueherent, sed ut in relatione personarum, identitatem essentia ostenderent aduersus eos, qui Christum factum dicebant ex nihilo, & quidem in tempore. Huc enim spectabant ista eorum Arianorum sententia ἢ ὄτε οὐκ ἦν, & ἔξ οὐκ ὄντων ἐκτελέσθαι, id est, ex non existentibus cõditus est. Patres igitur addiderunt Symbolo, Deum verum de Deo vero, ut ostenderent Deum à quo est Deus, id est Patrem: & Deum qui est à Deo, id est Filium, ratione essentia unum esse Deum.

Quum aliqua sit homonymia inter ἕνα & ὁμοϊου, id est, esse & subsistere: itemque inter ὁμοϊου & ὁμοϊου, id est, essentiam & substantiam, adeo ut confusis istis nominibus, à quorum distinctione penderet huius controuersia explicatio, magnos errores consequi necesse sit, quod veterum multorum, & quidem imprimis Hilarij & Hieronymi scripta declarant: idcirco Latini Personæ nomen pro hypostasi vsurparunt, quod & Græcis similiter placuit.

## FINIS.

Errata sic corrigito in Præfatione.

Pag. 7. lin. 10. lege quodam. Pag. 11. lin. 24. leg. tenatus Pag. 16. lin. 5. leg. naturam tantum;

